


6
4 A
16
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE



IACOBI BIDERMANI

e Societate IESV

DELICIÆ SACRÆ.



ANTVERPIÆ,
Apud JOANNEM CNOBBARVM.
M. DC. XXXVII.

Superiorum permissu.

HENRICO
REVERENDISS.
ANTISTITI,
ILLVSTmo S.R.I. PRINCIPI,
Episcopo Augustano,
JACOBVS BIDERMANVS
è Societate JESV.



OMAM profecturus, pedem è Germaniâ vixdum extuleram, cùm illico sensi, quantum tui tu desiderium, HENRICE PRINCEPS, apud me reliquisses. Hæsit enim crevitque grata memoria, tantò acriùs in dies, quantò longinquiùs à te recedebam. Et exigebant hunc animi sensum merita tua; quibus cùm me privatim nec paucis nec parvis, tum Societatem univer-

ſam plurimis, rem verò publicam propè immenſis, arctiſſimè tibi devinxeras. Nam mihi quidem, annis ferè tredecim in urbe tuâ verſanti, quoquò converterer, occurrebant ſemper monumenta tuæ liberalitatis. Templum ibi peramplum & elegans intuebar? Id omne tu Societati noſtræ ſumptibus tuis magnificè copioſéque extruxeras. Ibi Collegium ego, ſitu locoque amænum, habitabam? Id æquè tu reditibus ſuis inſtruxeras pridem & fundaras: nec uno contentus, aliud nuper Auguſtæ, & aliud Memmingæ nobis, haud minori proventu, tradideras. Academiam porrò, litteris ſtudiiſque florentem, admirabar? Eam tuo tu patrocinio complexus, novis ſalariis locupletaras, profeſſoribus ſcholiſque auxeras, & præſentiâ propè quotidianâ illuſtraras. Denique & Marianum ibi Parthenonem (plenum indole virtuteque

cœtum)

cœtum) contemplabar? Eum nempe tu ipsum Præfectus sanctissimè gubernaras; eum donis amplissimis affeceras, eum exemplis, Principe te dignis, ad omnia summa excitaras. Et adhuc ista, quasi privata commemoramus. Publica sunt, & jam æternitati consecrata, quæ tu laboranti periclitantique Germaniæ, si non primus omnium, certè inter primos Principes, luculentissima contulisti. Quem enim illa te uno habuit vel in tuendâ Religione vigilantiorem, vel in oppugnandâ hæresi, his annis amplius triginta, ardentiorem? Loquuntur hostes æquè ac cives, quas impensas in bonum commune feceris. Norunt, quantos labores ad pacem reducendam exantlaris, quàm sapienti consilio partes erexeris; quàm opportunis auxiliis adjuveris. Amplissimum fuerat ærarium: id omne liberaliter exhausisti, ut nervos Reipublicæ firmares.

mares. Erant vitæ commoda, familiæ frequentia, palatii aulæque ornamenta; ea tu cuncta libens abdicasti, ut necessitatibus publicis cuncta largiùs uberiusque suppeditares. Quid multis? Cùm hæc aliaque plurima, in secundis rebus, gloriosè peregisses; restabat adhuc, ut etiam adversis tua se virtus experiendam offerret. Et ecce, belli procella! quæ à Septemtrionibus effusa, cùm nuper in Germaniâ ferret ageretque omnia, etiam te adorta, nunquam potuit, quamvis & urbibus tuis oppidisque direptis, & civibus ac populis vexatis, & fortunis propè omnibus per vim ablatis, animi tui constantiam everberare: ad extremum ne exilium quidem à fide officioque abduxit. Ubi videre tum ego, non *Rutilium* videbar, quem exulantem Roma, ceu triumphantem, suspexerat: sed *Athanasios* mihi, magnosque Præsules in mentem reducebam,

bam, qui extorres quondam, terrarum orbem obſtupefecerant. Eaque propter futurum ſperabam, uti te, quorum patientiam fortitudinemque æmulatus in exilio fueras, eorumdem gloriam in reditu conſecutum videremus. Vidimus enimverò; & damnati jam votis, quicquid optari propemodum potuit, factum conſpicamur. O diem nobis auſpicatum, quo ſuum *Auguſta* Præſulem, *Dilinga* Principem, *patria* Patrem, ab exilio glorioſiùs, quàm alium à triumpho, redeuntem aſpexit! Et felices ibi cives tuos, qui venienti occurrere, qui reducem excipere, qui coràm alloqui, & manus deoſculari, præſentē venerari potuerunt! Inter quos, HENRICE PRINCEPS, ſi & mihi locum fortuna reliquiſſet, equidem, in gratulationes effuſus, animi mei gaudium mille indiciis argumentiſq; coràm prodidiſſem. Quanquam & Romæ intereà, tanto

terrarum intervallo, non omisi circumspicere, ecquid absens reperirem, è quo cognoscere tu posses, me officio meo non penitus deesse. Ceterùm omnia scrutatus, cùm in paupere fundo nihil hîc *meum* invenissem; audacior, in Cæli cimelia manus injeci, indeque non ignem fabulosum, ut ille, sed Sacras has Cęlitum *Delicias* furtim extuli: quas tibi, jam antè familiares, eoque non ingratas, æquum erat dedicari. Has ipsas proinde votis & precibus claudo: uti tu, qui Rempublicam annis non minùs quinque & triginta sanctissimè gessisti, in eadem gubernandâ alteros tantos felicissimè impleas: quò etiam Augusta suum in HENRICO Antistite REMIGIVM videre se habereque gratuletur. E Collegio Romano, Kalendis Januariis, M. IↃC. XXXVI.

LECTORES BENEVOLI,

DVo mihi necessum est paucis hic præfari; de libri titulo alterum, alterum de genere modoque scripturæ: quorum illud, nisi occupavero, invidiæ; & istud, huic video lucubrationi præjudicio fore.

Ac librum quidem Delicias *inscribo: superbè, si ex meo; impunè, si ab argumento; quod omnino mihi visum est tale, quippe plenum piæ narrationis, & quod lectorem sui similem, id est pium, haud nullâ voluptate affectum relinquat. Nam quibus palatum obbrutuit, ii, si res hic enarratæ plus aceti sapient quàm mulsi, litem sibi intendant.*

De genere porrò formaque dicendi monitum quemque volo, ne Oratorem in hoc argumento exspectet, sive forensem, qualem à Tullio; sive Panegyricum, qualem ab hoc avo. Neutrum ego duorum promitto: & verò si promitterem, aliud calamistrum ad crispandos mihi hos cinnos quæsiissem. Nunc narrare duntaxat placuit, sed charactere dicendi mixto, qui neque recederet à familiari longiùs, & traheret ta-

men colorem ab officinâ Oratoris : cùm materies per se ipsa, blandæ propior quàm severæ, ampullas, quibus ingrandesceret, visa sit aspernari. Atque hæc mihi in principiis professo, adversus obtrectantes profutura confido.

Iam Operis parvi materies omnis in tres libellos est tributa : quorum Primus eas ferè Delicias memorat, quas Christi pueritia clientulis suis eximias uberesq; propinavit: Secundus eas, quibus Virgo virginum suos aliquot alumnos suavissimè delinivit : Tertius denique iis Deliciis constat, quas, gustatâ voluptatum cælestium promulside, mortales aliqui, cæloque mox dignandi, præceperunt. Has hujusmodi Delicias, cùm ita mihi sumam, ut iis enarrandis pios alicubi motus, quasi colores quosdam, adspergam; & per eos colores non sanè Lucem, (quam res habent à se ipsa) sed Vmbram (quâ solâ carent) adjiciam : eapropter meis illas coloribus non illuminatas inscribere; sed solùm adumbratas libuit profiteri. Valete.

DE-

DELICIARVM LIBER PRIMVS.

I.

CHRISTVS parvulus in ulnis SIMEONIS.

Ex Evangelio S. Lucæ, cap. 2.



MAGNÆ mihi pulchræque voluptatis theatrum hîc aperiri video, Sodales; quòd ego quanquam è longinquo adhuc, & quasi per nebulam obscurè dispicio; ita tamen eo moveri me afficiq; sentio; ut si coràm ibi clareque jam omnia contemplarer. Quò proinde vereri minus debeo, ne quis jure mihi succenseat, si comites ego vos invitavero, ut adesse confertim, oculosque mecum animosque ad spectaculum illud, tam amœnum ac voluptarium, advertere seriò studeatis. Ceterùm, cùm vobis nescio quas voluptates & theatra hîc prædico, nolim de illâ scelerum palæstrâ vos cogitetis, cui totum & modestiæ suæ naufragium Alipius, & innocen-

innocentiæ excidium juventus, & pulchri omnis honeſtique exilium virtus, acceptum ſæpe retulere. Faceſſant hæc ſua Veneres & Sirenes probra. Theatrum, quò invitamus, nullis fabellæ Mileſiæ commentis, neque mimorum hiſtrionumque ludicris profanum; ſed meris cælitum veriſque deliciis dicatum, & admirabili rerum opumque ſuavitate refertum eſt: ubi vos ſimul circumſpicere incipietis, quales (Superi boni!) quantoſq; eſtis Roſcios, & quos eorum geſtus motuſque conſpecturi? Unus ibi omnium labor eſt, jam Deum invadere, jam virginem Dei parentem circumdare, jam ex ejus complexu cæleſtiſſimum Infantem evolvere, Numenque patente ſinu receptum, mortalibus brachiis illigare. In hoc tale theatrum cùm vos ego perduxero, futurum brevî confido, ut inibi non ſedere ſpectatores ignavi, ſed ultrò prodire, & in ludo tam hilari actores eſſe, quàm primùm etiam ipſi deſideretis.

2 ET ecce obvium in proſcenii limine SIMEONEM, notæ pridem laudatæq; ſanctimoniæ ſenem! qui vitæ jam omnis fortunæque ſatur, dum nihil mortale in hac ſibi coloniâ reliquum videt; quod votis,

etiam mediocribus, esset ambiendum: ad longinqua cœpit spes omnes curasq; convertere; & rei cujusdam nusquam anteà conspectæ, magnis assiduè novisque desideriis æstuare; cujus potiundæ, ut rationes ineat, nihil operæ sibi laborisque putat omittendum. Quâ enim aliâ re, aut cujus tandem amore sanctiùs teneretur? Juventæ jam calor omnis vigorque in canos defierat, jam vires ætati succumbere, jam sensus hebescere, jam labare cetera ruereque sentiebat; ut animus proinde, malè sarti laris effœtus hospes, migrare quàm primùm, & statione, si missio daretur, excedere peroptaret. Sed optantem properantemque rei, quam dixi, unius desiderium ingens retrahebat. Et erat ea sanè materies, haud absurdo senis judicio, talis, quam unam omnia mortalium vota meritò suspirarent: erat, inquam, Dei nascentis & vagientis infantia; pridem illa populis terrisque, incertum, liberaliúsne promissa, an avidiùs exspectata, an postremò pertinaciùs dilata.

3. Hic iste quidni fortunatum se crederet, si rem, tot majorum optatam suspiriis, tot postulatam lacrimis, & irrito semper conatu tot seculis concupitam, suis

demum oculis concessam, intraque sinus & manus & brachia conclusam, primus intueretur? Sed in rei tamen tam beatæ desiderio, non deerant curæ, quæ hominem adhuc perturbarent: Quid enim tibi tu? quid, senex, inquit, effœte, cœpto temerario cælum fatigas? aut quibus opibus tuis viribusque ferox, ad hos Numinis favores adspiras? Venient ea quidem appetentque tempora, ut Deum inter infantes recumbentem vagientemque tellus excipiat; venient ea, cùm videbitur, ne despera: sed ea tamen quis uni adeò tibi, quis oculis tuis usurpanda promisit? Quid si seris nepotibus hæc olim gaudia reservantur? Potuerunt, si nescis, *Abraami* suspiria in tot annorum centurias differri: potuit *Mosis* constantia, & *Davidis* patientia, cum suis tot lacrimis, ampliari: potuit gentium cunctarum temporumque exspectatio suspendi: & unus tu moram, delicate senex, recusas? Hæc hominem, ut dixi, aliquantulum perturbabant.

4 Nihilominùs & hanc denique litem victor animus discussit. Nempe donum hoc, inquit, promitti nobis tam liberaliter non debuerat, si vel impetrari à me non potuit, vel noluit saltem desiderari. Imò enim-

enimvero promissum vel idcircò fuerat, ut tantò exspectatius aliquando & acceptius obveniret. At *Abraamum* certè distulere cælites, quem quantumque virum? at *Mosen* etiam; & quos non alios Heroas, comperendinarunt. Audio pridem hæc omnia, & mecum ipse non insciens expendo. Sed nusquam hîc interim, nec illius desideria, nec istorum suspiria reperio damnari. aut certè monstra sis aliquis, ubi cælum eis idcircò diem dixerit, quis dicam aliquando scripserit, quis reos ambitûs in his illos comitiis accusarit? Quin potiùs, si eos nemo non in cælum usque extulit, cur eorundem mihi studia sapienter imitanda non ducam? aut cur censorem eâ in re solus ego metuam, è quâ tot videam competitores fuisse laudatos? An eò fortasse, quòd impar illis, paria temerè affectem, incusor? Atqui, ubi vænale votis cælum proponitur, etiam pauperes in mercatum eunt, & magna pumiliones licitantur. Infero me proin, & digitum, inter copiosos emptores hos, novissimus tollo. Vel enim repulsam ego cum iis communem, hîc feram, & magnis multorum exemplis me consolabor; vel præ his ipsis voti compos discedam, & eventu victoriaque primus gloriabor.

5. O

5 O Virum in incepto salutari, sed arduo, magnanimum & erectum! ô Senem in corpore fracto vegetum adhuc & vivacem! In quo, ut labefecerit omnia expugnaritque jam ætas, mentem profectò constantiamque non hebetavit. Quare neque nos actum acturos arbitror, si porrò, quid hoc tam contento studio Senex effecerit, exploremus. Pòst enim quàm diu noctuque pervigil hanc unam in rem incubuit, cumque nec temporis longinquitas frangere, nec repulsæ metus dejicere, ac ne mors quidem ingruens à conatu potuit deterrere, quin idem assiduè contendere, & ad Dei nascentis infantiam respicere constans perseveraret: adfuit ei tandem optatus è cælo, non ipse quidem infantis, jam præsentis, conspectus; certè verò præsens de infantis adventu conspectuq; nuntius. Nuntius, inquam, ô quantis animi lætitiis exceptus? quot quibusque titulis salutatus? Nam, tametsi non sanè nuntium id temporis exspectarat, sed Dominũ videre Deumque puerum cupiebat; tamen augurio lætus, potiturum utique votis se esse, ex prodromo discebat; futurumque haud multò pòst, ut, quod unum adhuc poposcerat, oculis mortalibus usurparet.

paret: Neque enim fatis concessurũ priùs, quàm se desiderati Numinis non modò conspectu dignatum, sed complexu quoque fruitum, miraretur.

6 Accepto felici, quem diximus, nuntio, ullúmne Simeoni diem abisse vos creditis, quo die sibi gratulandum fortunatissimus senex non putârit? Jam oraculo confirmatus, noctes omnes diesque enumerare, & moræ impatiens, horis omnibus oculos attollere, cælique fidem suspiriis invitare. Et quoties domi suæ, quoties in templi adytis, de genu supplicans anhelansque, respectabat? nempe ad hoc unum sensus animusque Senis exercebantur, ut ne serus hospes hospiti occurreret; heu venientem Deum aut otiosus exciperet, aut præsentem, & alicubi jam fortè vagientem, lentis officiis segnior ambiret. Ac potuit quidem etiam hæc talis industria, quò clariùs olim eniteret, aliquandiu protolli: ut verò longiùs protracta, speratos successus non haberet, id fieri profectò nunquam potuit: sed suam simul & oraculo fidem, & promissam Simeoni voluptatem oportuit constare.

7 Svberat jam auspicatum ejus diei diluculum, horaque felix appetebat, quâ

Senis

Senis infinita cupiditas ad ſatietatem erat explenda: cùm inſtitit ille, ceu futuri præſcius, ſe etiam ipſo ardentior, exilire; pedeſque ſenio victos, ad templi ſacraria, æquo maturiùs viſenda, propellere. Accingitur longæva canities, viamque, toties incaſsùm ambulatam, incipit greſſu tremulo remetiri. Jamq; adeò volare pedes, animique imperium obſequio prævertere geſtiebant; ni juſtæ molitioni, corpus effœtum & ſenecta pertinax obnuntiaret. Igitur unum ſupererat, ut ſcipione correpto vires poplitesque fulcirentur, quò lubrica viarum prætentans, ad templi limen pedetentim eniteretur. Quanquam ad primum ædis veſtibulum, cùm anhelans denique evaſiſſet, ne ibi quidem continuò placuit interjungere (nec dum enim ſpectaculum illud, quod Senis impetū ſiſtere, viſumque paſcere poſſet, illic apparuerat) ſed penitus intrò irrumpere, ſed omnes templi angulos conſulere, ſed per turbas omnes, &, ſiquà liceret, ad aras uſque penetrare; dum ad exſpectatæ voluptatis metam pertingere, atque in promiſſo Numinis complexu intermori concederetur.

8 ETENIM in eo ſibi ſpem haud dubiam poſuerat, ut crederet, fieri modo nullo

poſſe,

poſſe, quin requiſitus infans, ubi ubi eſſet, ex omni aliorum numero facillimè dignoſceretur. Immutet, inquit, ora, vultuſque ſuos arte quâ volet obducat; diſſimulet ambroſium colorem, ſi poteſt, & frontis divinæ pigmenta ſplenio ingenioſiſſimè tegat: adhuc agnoſcam, adhuc deprehendam. Infuſcari enim uſq; adeò non poteſt,


Quin maneat reliquis formoſior omnibus infans,
Inq; ſuâ ſtellas aſtraq; fronte gerat.

Quare, quacunque nube Sol iſte ſe recondat, exploratũ habeo, latere ſic nunquam poſſe, quin perruptâ confeſtim nebulâ, ſui mihi indicium copiamque faciat. Et ſanè quemadmodum fecerit, paucis auſcultate. Adhuc in turbâ SIMEON, & cum turbâ, quam perrumperet, decertabat; cùm fortè conjectis hac illac oculis, advertit eminus novam inſueti fulgoris lucem apparere: quæ tametſi ipſum Solis meridiem longè præſtaret, tamen intuentium vultus nitore ſuo non obtundebat. Atque hanc hujuſmodi lucem ille, diu veſtigans, deprehendit, nuſquam nec supernè de tholi fornice, neque circùm à templi pariete, nec aliunde ab aëre dimanare; ſed omnem ab unius puellæ ſinu exiſtere. Erigit ergo in pedes ſeſe, quantumque ſupra turbam poteſt,

altior increſcit: & ecce puerum illic ipſum (ô cupitas jam diu quæſitaſque delicias!) puerum, inquam, videt ipſum, agnoſcitq; procul: & confeſtim, Quid miſerum, exclamat, impeditis? quid properanti obſiſtitis, cives? date ſenio locum, ſinite hunc me globum, ſinite hac perrumpere: tarda omnis eſt circuitio: ſinite rectà me inferam. Quid obſtatis? mihi opima hæc ſpólia, mihi ſunt promiſſa. Data pridem in hanc rem eſt fides: accepti ſunt obſides, relati teſtes; injuria erit veſtra, ſive prohibetis acceſſum, ſive retardatis. Dixit hæc ille, & ſimul abjecto baculi fulcro, quaſi totam ſenectæ ſarcinam excuſſiſſet, per obſtantem populi coronam, agilis, ad metam uſque, ſtupente frequentiâ, decurrit.

9 JAMQVE eò loci pervenerat, ut Virgini propinquior, nō oculos magis, quàm manus in prædam poſſet intendere; cùm repentè facinus incepit (Cælites boni!) pluſquàm inſolens & audax moliri. Adoritur, ecce, nemine etiamdum metuente, diviniſſimum Infantem, eumque materno de ſinu palàm evolvere, brachiiſque divellere, & in ſuas illum ulnas attollere, ſenili violentiâ laborat. Circumſtare intereà hiantes matronæ, Senemque attonitæ reſpicere,

ſpicere, & ecquid ſibi diludiis tam novis cupiat, exſpectare. At Virgo ipſa, quamquam referre ſua cum primis videret, ſi irruere prædonem, ſpoliumque trahere tam opulentum pateretur; tamen nihil perturbatè, neque ex uſu aliarum agere; ſed læta potiùs, & oblectata ſpectaculo, renidere, favereque prehenſanti, & prolem ſuam in manus ipſi, inque ulnas, inque ſinum ultrò ingerere, ac pulcherrimum Infantem Seni gerulo commendare. Quid enim facere aliud in hac dimicatione matrem decuiſſet? Norat illa ſapienter, Infantiam divinam ſufficere unam omnium amoribus poſſe; neque coli maternis obſequiis, ſtringique brachiis ita velle, quin & aliorum officiis ambiri, lacertiſque includi ſe pateretur. Patitur omnino, Sodales; idque, ut nulli dubitaretis, teſtem prodire SYMEONEM hunc juſſit: jam in uno ſpecimen dedit; &, erga ſe quid fieri ab omnibus velit, luculèter oſtendit. Niſi veſtrûm aliquem tædet, huc animum advertere; &, quàm non invitus ille, quàm imò blandus placiduſque in hujus amplexus tranſierit, videre. Nam æquum erat, ut, qui ipſemet dato pridem oraculo monuerat, quique in hoc theatri proſcenium ſuaviſſi- me



mè Senem invitarat, jam palmas ejus ulnasque non torvus certè refugeret; sed sinum omnem gestiens exiliensque impleret: neque contentus, amantis oculos pascere, ad intimos animi recessus penetraret, & nullam hominis partem lætitiis cælestibus immunem expertemque relinqueret.

10 O Senem plùs mille titulis felicem! ô nostrâ, Sodales, invidiâ dignum; cui in hoc cæli nectare non pitissare duntaxat, sed imò (venia sit verbo) perpotare jam licuit & helluari. Nos interim auctorati Virginis clientes, hîc soli tanquam abstemii victitamus, ne stillis quidem ab hujus temulentiâ rorantibus humectati. Quin excitamur & nos? paresque haustus, si nondum poscere omnes, saltem amare, sitire, desiderare aliqui audemus? Nondum exhausta nec Infantis divinissimi suavitas, nec Virginis nostræ omnis est liberalitas. Nihilo parciùs scaturiunt hodieque hi fontes: congii mellis hujus amphoræque cælo supersunt, dum ora tantùm, quæ sitiant, quæ perfundi liquoribus his & irrigari cupiant, ne desiderentur. Quòd si tamen ne hoc quidem nobis sumimus, saltem silentii tam patientes ne simus, quin

SIMEO-

SIMEONEM certè compellemus, cumque in hac tantæ voluptatis ubertate, quid ipse senserit, quid cogitarit, & quo pacto se suasque fortunas ceperit, interrogemus. Nam eum ad hæc postulata respondentem si audire contingeret, quæ, DEVS bone, & qualia sensa? quæ animi beati solatia? quæ cæli gaudia, & quibus ea coloribus adumbrari, depingi, exprimi, sentiremus? Sed video quid agatis. SIMEONEM, ad sua sibi commoda fruenda intentum, nefas ducitis interpellare: humaniùs facturi, si agentem porrò, & in hac scenâ sermocinantem, taciti auscultare perseveretis.

II POST enim quàm usum se Virgine tam propitiâ sensit, ut pondus amabile suis etiam brachiis committeretur; non hæsit ambiguus diu, quid, eo spolio potitus, inchoaret: sed arctè Numen compressêque amplexus, seniles vultus sinusque, properantibus gaudio lacrimis, continuò perfudit: & (quando oculis oculos contingere, & oribus ora, atque manus manibus jungere, majestas Infantis prohibebat) in eo se totus oblectavit, ut suum plantulis beatis caput submitteret, ut pedibus ambrosiis osculum libaret, ut gratulantibus verbis membra divinissima salutaret: ut in

præstan-

præstandis denique obsequiis, nihil non aliud officiosissimè ageret. Ubi spectatoribus id præter multa jucundum acciderat, subitam videre Senis decrepiti mutationem. Nempe, qui bacillo nixus ad templum ægrè subrepserat, jam suis se ipse pedibus ferebat, jam bajulus juvenilibus studiis fervere, jam circumiens turbis omnibus DEVM ostendere; jam matri, & populo, & sibi, fatidicus audiebatur oracula fundere. O sarcinæ pondus suave! ô ulnas boni Puerulí alumnas! Ullúmne potuit onus humeris olim incumbere, quod bajulantem suaviùs beatiusque degravaret? Si tamen onus illud putandũ est gravasse, quod ipsum quoque bajulum exsilire, & omne senium coëgit à pedibus abesse, corpusque jam prope emortuum, primæ juventæ vigorem docuit assimilare.

12 SED frustrà sim ego, si dicendo persequi singillatim ea omnia velim, quæ in hoc theatro SIMEON alia ex aliis egerit, quasque prætereà partes ac personas, quamque scienter omnes & concinnè expleerit. Demus hoc optimo Seni, ut multa sensisse tunc illum egisseque cogitemus, quæ neque assequi nos hodie, neque ille possit facilè recensere. Suffecerit, si ab illis

quasi

quaſi diludiis excluſi, ad cataſtrophen certè, ludique pulcherrimi coronidem admittamur. Etenim ubi Puerum Senex diu triumphans circumtulerat, jam ceteris officiis ſeſe perfunctum, & fidem oraculi abundè teſtatam ratus, Orpheum canorus vates induit; non citharœdum illum, qui fluvios olim ſcopuloſque fabuloſo cantu ſuſpenderat; ſed illum, qui cygneo carmine Deum immortalem ad intimos complexus pertractum, populis oſtenderet, & adorandum inter faſcias cunaſque Numen exhiberet. Quod ego Senis elegantiſſimũ carmen, vereor ne temerarius hic vanuſq; ſim, ſi ſperem, abſono rudique murmure imitari me poſſe. Quicquid enim incepero, nunquam ſanè numeros illos moduloſque beatæ ſenectutis adæquabo. Quòd ſi tamen fas erit, Mæonii oloris, & jam jam expirantis, liquidiſſimos cantus, cum rauco aſperoque anſeris ſtridore confundere; hæc mihi vobiſque non quidem illius carminis verba, ſed verborum fuiſſe momenta, poterunt videri.

Nunc, ô nunc, mea vita, ſit peracta
Fas abrumpere tædium ſenectæ!
Servant aſtra fidem: dedere quicquid
Promiſſum fuerat. Videmus ortam

Terris omnibus omnibusque lucem.
Est certè, est data missio. Quid ultrà
Longi carceris hospites moramur?
Quod nunquam licuit, licebit, isto
Dum plenus premitur sinus Puello.
Iam vitæ satur, in lucro repostos
Si cursim fugiant, putabo menses.
Quid menses tamen auguror? facesse
Tam longi mora temporis. Relictas,
Vt cursim fugiant, precabor horas.
Nil annis erit, ah nihil, futuris,
Aut, quamvis foret, ah, nihil sub illis
Vltrà cernere me juvabit annis.
Ignoscant oculis meis diurna
Et nocturna (videre tædet) astra.
Ibo nuntius, ibo, patriisque
Iam jam prodromus aggregabor umbris.
Vmbræ surgite, quotquot estis, omnes:
Ducam vos ego conscius novorum
Ad compendia certa gaudiorum.
Nam quod nocte dieque mille votis
Et desideriis, modisque mille,
Annisque amplius invenire mille
Nequicquam cupiistis, illud uno
Senex repperit unus in Puello.

13 HÆC ferè talia cùm SIMEON sonorâ voce concinuisset, perseveravit ille quidem desiderium vivendi, ut pridem instituerat,

tuerat, rejicere; Puerulum verò, quem magnificè adhuc circumferebat, ut matri ſuæ redderet, utque ab ulnis oculiſque dimitteret, aut eripi brachiis avelliqúe ſuis ſineret, ſi ægerrimè à ſeipſe impetravit, quid eſt quòd quiſquam admiretur? Equidem certè, ut de me uno, quod res eſt, ingenuè proloquar; omnia magnæ huic Matri cliens debeo, omnia cupio, omnia volo. Opes illa fortunaſque à me repetit? abdicabo, quas habeo, daboque omnes. Cultum amoremque exigit? deferam ego, quem licebit, omnem. Vitam, ſanguinem, animam poſcit? hilaris omnem abjiciam, profundam, prodigam. Quid enim horum omnium negare Virgini aut impunè poſſem, aut ſine injuriâ vellem? Unum eſt tamen unicumque in quo contumacem illa me haberet ac rebellem: ignoſce flagitium hoc mihi, Mater, & fave abnuenti imperium clienti. Siquidem ſi tuam mihi prolem, ſi dulciſſimum hunc Infantem, id eſt, Dominum Deumque meum; his olim brachiis excipere, ſi ſinu fovere, ſi in gremio habere ſemel contingeret (quod Seni huic, poſt homines natos fortunatiſſimo contingere vidimus) dicam audacter, nec dicendi religio eſt, plagium ego luculen-

tum haud dubie molirer; à quo consciscendo non alius aliquis, non tu ipsa (parce pervicaciæ) me inquam abduceres: neque ut reddendum tibi tam charum nobileque creditum censerem, ullis tu aut precibus tuis me flecteres, aut imperiis cogeres; ac neque minis etiam terreres, neque blanditiis emollires. Nam etsi intelligo, quantis tu titulis, quamque speciosis premere me posses, si matri filium, matremque filio deberi, inficiarer; tamen aliqua & meæ me causæ præsidia reperturum confiderem. Ubi, quantò tu maximè, tuum esse hunc Puerum clamares, tantò ego maximè & meum esse, mihique illum & natum æquè & datum fuisse, vociferarer. Neque si negare tu potrò vel addubitare tum velles, ego victus continuò tacerem; sed in jure, tibi Vatum oracula producerem, & data Numinis responsa, non ignarus, citarem; à quibus omnibus secundùm me pronuntiari perspicuè videres. Ecquam igitur injuriam tibi tunc faceremus, si, quod nostrum est, nobis assertum irepertinacius vellemus?

14 Hæc, inquam ego, prolixè agerem dixeremque, si, quod huic SIMEONI concessum esse legimus, etiam mihi per Vir-

ginem hanc matremque concederetur. Sed ô inania vota! ô somniata nequicquam gaudia! quid irritâ spe exultantem animum ludificatis? non ii nos adhuc, ah nondum ii sumus, quos implere tam vastæ debeant cogitationes. Humi reptamus miseri, & inter nubes condere caput affectamus? Necdum ad infima pedum, vix adeò ad calcis vestigia pertingimus, & jam divinissimi Infantis adspectus, jam oscula vani complexusque meditamur? Verùm & hoc ignosces tu, quidquid erroris est, suavissime Puer; & quorum soles affectum excusare, audaciam profectò non condemnabis. Neque tu item, magna ô magni Pueri Mater (etsi nos opibus tuis vim afferre, prolique dilectæ manus injicere cogitemus) clientibus aliud, quod succenseas habes, quàm, ut in hoc ipso injurios esse nos conquereris; quòd furtum istud cogitare nos solùm, non etiam tentare manu, reque ipsâ perficere moliamur.

II.

CHRISTVS infans in brachiis CONRADI Offidæ.

Ex Bartol. Pisano lib. 1. c. 23. p. 2. Ioanne Majore tit. B. Virgo, exemplo 23.

15 QUANTAM exempla vim, ad homines utramvis in partem movendos flectendosque habeant, tametsi jam ante me multi veterum tradidere, &, ut alio teste careamus, usu quotidie nos ipsi plus nimio comperimus; tamen hujus ipsius documentum si ex multis unum hic dedero, rem eò valituram apud nos sperabo, ut nos etiam ipsi, quæ præclarè facta in aliis suspicimus, ad eadem vel audacius æmulanda, vel certè ardentius desideranda, convertamur.

16 INTER illustria felicitatis monimenta, quæ à majoribus ad nos consignata pervenerunt, id cum primis memorabile est, quod de CONRADO legimus, in Francisci posteris haud ignobili alumno. OFFIDAM historiæ dixere. Is olim, cùm Sacris fortè meditandis incumberet, ibiq;

SIMEO-

SIMEONEM de Christi complexu triumphantem, veluti præsens intuensque observaret; invidiâ tactus, cum Cælitibus (qui candor hominis erat) institit expostulare, suamque Seni fortunam gratulari quidem, sed quòd in partem ejus triumphi non etiam ipse venerit, querelis, æquo propè majoribus, lamentari. Nam, Quæ Senis est hujus, inquit, humanitas, ut opes has, universis etiam suffecturas, suis unius brachiis, avarus, putet esse constringendas? Nemo, ne Euclio quidem, tam sordidè parcus fuit, qui Solem, cùm ipse videret, non fineret etiam alios intueri. Aut quis olim tam impatienter sitiit, ut, ceteris exclusis, totum sibi amnem soli reservatum vellet? Et ferri proin hæc Simeonis cupiditas posset, si has sibi delicias, quantę eæ cunque sunt, totas ambiret; dum ne competitores tamen omnes his comitiis arceret, sed socios certè aliquos, ad spem boni tam ampli, non invidus admitteret.

17 His ille cogitationibus cùm paullatim exarsisset, sæpeque Simeonem, nunc in tabulis depictum, nunc in libris historiisque descriptum, obversari sibi, & ubique velut insultantem, suasque sibi divitias ostentantem, intueri se crederet; im-

patientiâ victus, eò novissimè prorupit, ut tentandam & sibi Senis fortunam arbitraretur. Neque spes aderat nulla, futurum, ut, si candidatus in hæc ipse comitia descendisset, ferre tribum fortassis aliquam posset. Verùm eæ tamen animum curæ collidebant, undénam potissimùm exordiri, aut quos prehensare, in re tam arduâ, conveniret, ut eorum prærogativâ juvaretur. Nam ipsum, inquiebat, hunc Simeonem si ad partes meas invitavero, quid aliud in Sene, etiam optimo, profecturus sum, quàm ut repulsam eò citiùs tulisse me sentiam, ipseque ille pignus suum, quod sinu gestiens ovansque circumfert, arctiùs multò pressiusque adstringat; & ne quà Deus infans è decrepito sinu elabatur prætimidus, omnem competitoris societatem, ut suspectam, recuset?

18 ALIOS igitur necessum est adoriar suffragatores, eosque ut mihi potiùs, quàm sibi quisque in caussâ tàm quæstuosâ, faveant, exorem. Quos alios autem illos? aut quis unus omnium ita se ipse contemnet, ut meis commodis suas partes in hoc foro postponat? Cælestes mihi genios fortasse quis dicet; illos utique, qui turmatim cælo delapsi, Simeonē hunc ipsum

taciti

taciti circumſtant, Puerique divini nutum venerabundi expectant, ad cuncta ejus obſequia, ſi vocet, ruituri: hos mihi ſcilicet in his ſtudiis operam opemque præſtituros. Tanquam verò hi ipſi non iſtud ſollertiſſimè ſtudeant, ut in demerendo Infante locum ſibi quiſque omnium primi reſervent? utque ſuum ephebuli Dominum circùm undique cingant, eumque ambiant proximè, & circumſtent? Nec enim ignorant, hunc eſſe Puerum illum, quem quò contemplari cominùs diutiſſimè poſſent, è cæli palatiis emigrare, & in has adeò terras, inque ſtabuli caulas deſcendere, per ambitionem properarint: numeraturi in deliciis, ſi intueri jacentem vagientemque ſinerentur. Atque hos mihi loco eſſe ceſſuros, aliquis promittat?

19 CERTE autem hìc ANNAM alius mihi cenſuerit adeundam, natu grandi feminam, & haud dubiam vatem: quæ, ut facilis anus eſt, non gravatè ſuo me ſuffragio ſit dignatura. Quaſi verò & iſta non ita ſit actura res ſuas, ut in communi multorum certamine conſultius puret ſuæ magis, quàm adverſæ factioni, ſuffragari? Ecce, tot illa jam annis luſtriſque thalami omnis & gaudii expers, in hoc unum in-

cubuit semper, ut antelucana templum obsidere, ut abstemia preces fundere, ut ad omnes temporis occasiones intenta, vigilare diu noctuque pergeret, dum venturum hunc olim Infantem præstolaretur. Inhiat ipsa, & acriter, quod video, instat; ac, nisi locum præciperet Simeon, inter primas admitti; aut, si in secundis consistendũ sit, se ipsam ingerere, quàm quemvis alium admittere, præoptat. Denique ne ego quidem (tametsi evenire hanc mihi fortunam præ ceteris desidero) auctor illi sim, ut in pignore jam sibi asserto; & porrò tenaciter retinendo, anus religiosa cuiquam alteri concedat. Nam quod egomet, si id loci essem, obstinato animo caverem, ne quis hominum id mihi spolium per vim ereptum iret, id ipsum ut Anna sibi, dum fortunâ tam propitiâ potitur, enixissimè caveat, adhortabor.

20 SECVNDVM has ego tot repulsas, à quibus aliis ullum, quod juvet, suffragium exspectabo? Plebem jusserit aliquis, & hanc, quæ frequens circumstat, turbam prehensare? Sanè hanc quidem: at, nescio tamen quid metuo, ne parum auctoritatis habeat tam humilis favor, ad rem hanc tantam ambiendam. Potes ergo Proceres,

 inquis,

inquis, locique Principes tibi quærere, & eorum, quippe illustrium, prærogativâ ad salutandum Infantem pertingere. Nam isti quidem, ut nullis in Puerum obsequiis pro se singuli decertabunt, ita aliis totum diripiendum non inviti sunt relicturi. At neq; hæc suffragatio me magnopere consolatur. Qui enim hujus infantiam sic aspernantur, ut eam, velut auctorati Herodis satellites, implacabili odio devotam ferro belloque per omnes cunas sibi scrutandam esse arbitrentur; quo pacto copiam ejus mihi facturos esse persuadebo? Obnitentur imò hi omnes, acriterque resistent; & meos, quoad poterunt, conatus irritos utique volent & elusos. Quanquam isti, ne si velint etiam, in hac caussâ juvare me ullo modo possint; cùm nullâ ipsi apud Infantem hunc gratiâ, nec ullo in his comitiis aut jure aut suffragio polleant. Sed facite tamen, & velle eos meâ caussâ omnia, & posse: non erit ex re, ut improborum viribus artibusque hîc præceps abutar; si præsertim consilia supersint meliora, quibus ad concupitas opes feliciùs enitamur.

21 Et video reverà consilium adhuc unum, ut promptius aliis faciliusque, sic &

efficacius, supeресſe. Quid enim imprudens per tot viarum flexus ac Mæandros jam dudum oberro? & matrem Virginem, quæ filii sui copiam vel sola facere poterat, rectà adire sollicitareque prætermitto? Nempe mater ea est, inquis, natique longè amantior, quàm aut ephebuli sint cælestes, aut effæti hi Simeones: quos tamen tu, quando exorari posse non putas, in ipsâ Matre expugnandâ exarmandaque, quid irritâ tibi spe polliceris? Hæc enim quò teneriùs quàm isti, validiusque diligit; eò ægriùs, ut pignora sua è complexu dimittat, tibique in audacissimo voto morigeretur, animum inducet. Inducet animum imò, quid ambigis, CONRADE? inducet. Nam ut sanè mater illa sit, utque prolem illa plus omnibus aliis diligat; diligi tamen eandem ab aliis quoque permittet. Permittet autem? Certè, si Matris animũ ego ingeniumque novi, etiam cupiet; etiam invitabit, provocabit, imperabit; neque, donec supplices efflagitemus, præstolabitur, sed ultrò eam promittere, ingerere, obtrudere, ut diligamus, diripiamusque, properabit. Nisi fortassis hodie demum suo se titulo abdicavit, ut *Mater pulchræ dilectionis* esse vocarique dedignetur? aut imme-

immemor, dissimulet, hanc suam se vocem agnoscere, quâ universos venire, accedere, accurrere ad se quondam jusserat, ut *ab ejus generationibus* omnes, quotquot essemus, *adimpleremur?*

22 ISTA secum ipse, aut horum non absimilia, CONRADVS: verùm ita tamen pleraque, ut nequaquã intra steriles querelas contineret se æstuans affectus, sed capto impetu; illactenus erumperet, ut re ipsâ exsequi conaretur, quod animo conceptum aluisset. Igitur liberè disertèque, quicquid vel oris rubor, vel voti magnitudo obnuntiaret, exorsus,

Pignus ab astrorum Reginâ tale poposcit,
Quale Palæstini presserat ulna Senis.

Neque id poposcit solùm, sed etiam, quæ Virginis est benignitas, continuò impetravit. Vixdum enim voti sui summam CONRADVS absolverat, atque ecce tibi! cælum omne repentè discedere, nubibusque ruptis novum undique lumen effulgere. Ubi sic tibi præluditur, CONRADE, potes jam ipse, quid mox futurum sit, conjicere. Erige tu solùm oculos, vultusque tot lacrimis humentes audacter attolle. Paruit hîc ille, monitusque, quos humi defixerat, oculos attollit:

Nec mora, Mater adest, Eois pulcrior astris,
Lucidiorq; suâ matre Puellus adest.

O facilem planè pronamque Virginem! & suprà quàm sibi CONRADVS persuaserat, humanam & comem! Finierat clientulus precari: quid? nondum imò finierat, vix adeò dum inceperat, & voti jam compos, quicquid à Virgine desideràrat, concessum sibi datumque liberalissimè videbat. Jam infantiam divinam contemplari suaviter, jam in viciniâ admirari, jam totus ab uno spectaculo pendere, idque tametsi nondum manu contingere, ore jam certè oculisque poterat usurpare. Ecquis nostrûm hac tantâ potitus voluptate, non se saturum, &, ut ita loquamur, saburratum esse confiteretur? nondum tamen ne hac quidem copiâ satiatum Virgo voluit suum esse clientem. Auget amplificatq; donum, & hominem uberiore adhuc solatio perfundit. Quo autem solatio, si quod esse potest uberius, & quali tandem illo? Non hic verba jam ulla suppetunt; hæret stupetque lingua, & ad infantiam omnis redit facundia. Me tamen etiam tacente, ipsam vos Virginem, quid agat dicatque, auscultate. Nam ea, porrecto, de sublimi, filio, Agedum, inquit,

Tende duas, CONRADE,*manus*; *cape munera, quantus*
Quantus es, & toto hæc pignora conde sinu.

23 ITANE verò? quid iterum hîc taces, cessator? an nondum, ne nunc quidem, cùm ultrò provocat, invadis? Etiamne tu aut gaudio stupes? aut oculis captus, quæ fortuna sit tua, non vides? In lucro est, quæ datur hora: quid ultrà te ipse differs? Hæc nostrûm aliquis CONRADO tum poterat, si cunctantem fortè morantemque conspexisset, exprobrare. Sed nihil ego hac cum objurgatione video eguisse. Commodùm enim Virgo invitarat, cùm impiger, ultroque

Ille manus, simul ille sinus, simul ora tetendit;
Nec sinus illi unus, nec satis una manus:
Mille forent ulnæ, mille ille tetenderat ulnas,
Et functa obsequio qualibet ulna foret.
Tunc oculos satiare datum, tunc ora tueri;
Junctisq; tunc tactis labra beare labris:
Tunc prensare manu, tunc brachia nectere collo,
Terrarum Dominos tunc religare pedes.

24 NEQVE tam brevem nos hominis voluptatem hanc cogitemus fuisse, ut confestim ea se rursum subduxerit: non adeò parca sunt Virginis beneficia, ut inter primos etiam adspectus evanida continuò dilaban-

dilabantur. Durant illa, animosque longis appendicibus morantur. De quâ quidem mórâ, patere, quæso, nos ut curiosè aliqua percontemur: nam in tantâ voluptatum affluentiâ fieri non potuit, quin multa tu præclara cogitâris tecum, dixeris, feceris. Eorum nos, quando non omnium, at aliquorum certè, conscios habere participesque, non puto, dedecebit. Hic, fallor ego, an seriò nobis CONRADVM audimus respondere: Simplices vos! me, quid fecerim, dixerim, cogitârim, interrogatis? ô curas humiles! Tanquam animus meus in eâ mellis & nectaris pluviâ potuerit otiosè, quid cogitaret, diceret, ageret, observare? Ubi cæli se omnis opulentia effundit, mihi credite, non vacat rebus exiguis ullos animi sensus aperire. Tamen si vim afferre pergetis, ut ego, quicquid id fuerit, aliquid certè egisse me dixisseque confitear, audite:

Tam grandi damnata videns ego brachia voto,
Obstupui manibus tanta licere meis,
Inq; meos, dixi, potes ô bona Virgo, lacertos,
Inq; meos potes hæc indere dona sinus?
Tuq; sinu potes hunc Puerum dimittere Mater?
Tuque sinu potes hoc Matris abire Puer?

25 TALIA me dicere ingredientem, si sensus illicò destituêre, dabitis veniam, ut & verba jam negem sufficere, quibus arcanæ voluptatis reliqua series vobis enarretur. In hunc fortasse modum CONRADVS, si colloqueremur, responderet. Et nos, quasi jam respondisset, ne porrò simus odiosi, satis habebimus, si cetera silentio peragentem attenti speculemur. Sed enim his illum tam sanctis deliciis immorantem, facinusque jam, nescio quod, exspectatione majus, molientem, fortuna (ô subitos rerum casus!) in medio cursu destituit; atque insperatò Pulcherrimus ille, quem ulnis suis brachiisq; inclusum blandissimè foverat, ille, inquam, Infans

Ex oculis manibusq; suâ cum Matre recessit.

Cujus mihi tam improvisi recessûs, si divinare fas est, caussam videor non absurdam odorari. Nam nisi fugâ violentâ Puerum abstulisset,

Nullâ aliâ Matri redditus arte foret.

Hic ego statuere mecum, Sodales, non audeo, majorémne credam ab aspectâ Numinis infantiâ suavitatem apud animum CONRADI, an ab ereptâ omissaque dolorem successisse. Ceterùm, utrúmvis horum dixero, profectò moderatiùs ille potuit dolere,

dolere, qui ex amplexu conſpectuque diutino Deum elabi ſibi perſenſit. Nos verò, quibus ſpolium hoc cæleſte numquam ſinu fovere, nunquam brachiis ſtringere, ac ne oculis quidem intueri contigit, neſcio an æquè, ac ille, doleamus; certè autem dolendi lugendique cauſſam, illo majorem, plerique habemus.

26. QVID ni enim, ô Virgo magna, quid ni cauſſam, ô magna Mater, haberemus? CONRADVM hunc, ecce, clientem tuum, nos è longinquo hinc, etſi non conſpicimus, attamen audimus pridem & legimus, in voluptariâ ſcenâ geſtientem, cælique fortunis omnibus circumfluentem; & necdum etiam aſſurgere ignavi, eademque abs te contendere, aut hærere aliquâ ſaltem in parte apud te, ſtudemus. Potuit ille ad unum Simeonis exemplum ſeſe erigere, potuit ad pares ſucceſſus animum adjicere, potuit commune cum illo ſolatium ſperare. Etiam nos tui, Virgo, clientuli ſumus; etiam nos, ut nondum æquare tot alios tuos poſſimus, tamen admirari jam venerarique didicimus; & ſi porrò adjuveris tu, conabimur, quoquo eventu, & vel impari paſſu, æmulari. Etenim, ne quid veri diſſimulem, quis iſte

beatulus,

beatulus, aut unde tam insperatò sic fortunatus exstitisset, nisi tuâ tu ope favoreque huc illum evexisses? Non oculis ille Simeonem viderat in templo deambulantem, non adstiterat arbiter ejus gaudii, non testis spectatórve approbárat; sed id ei tunc usu venerat solùm, ut de absente legeret, audiret, cogitaret: & inde tamen quantos homo repentè animos sumpsit? quid continuò, non tantùm desiderare, sed affectare & efflagitare, idque quantò violentiùs, tantò feliciùs, incepit? Nempe tuæ id artis opisq; fuit: tu viam ei modumque, quo accederet, demonstrâsti: tu ut auderet, tu ut citiùs impetraret, effecisti. Utamur eodem & nos, quamvis audaci, tamen utamur, compendio; & quicquid timidi dudum segnesque parturimus, id aliquando animosi pariamus. Nam quorsum, in facinoris pulcherrimi conatu jam deprehensi, ultrà tergiversamur? Palàm imò nunc aperteque erumpimus, ut quicquid aut impetrare priùs licuit Simeoni, aut mox imitari huic Simeonis rivali, id universum (quid erubescis oratio? quid titubas lingua?) id universum te, magna Virgo, & rogare nos, & flagitare, profitemur. Quâ quidem in tantâ postulatione da veniam

clienti-

clientibus Mater, si plus nimio vel sumus, vel videmur ambitiosi: tales enim ut hodie fieremus, suo Simeon & CONRADVS exemplo, tu tuo suffragio patrocinioque effecisti.

III.

CHRISTVS parvulus, in præsepibus FRANCISCI.

Ex Bonav. in Vitâ cap. 10. *& Vincent. Belluac. lib.* 31. *cap.* 107.

27 QVOD plerique omnes inprimis studemus, ut eorum, apud quos suum narrationi momentum pondusque constare volumus, benevolentiam priùs aliquam colligamus; id præter morem ego, non præfidenter temereque, sed (nisi instituti me mei amor fallit) rectè sapienterq; omissurus hîc esse videor. Facit hos animos, argumenti, quo de acturus sum, illecebra; nascentis, inquam, & vagientis adhuc Numinis infantia: quæ, dum à cognato Virginis gremio, ad extẽporales FRANCISCI cunas divertere narrabitur; sperat, tantum in se ipsâ habituram suavitatis, ut

ad

ad animos sibi adjungendos, nullius egeat lenocinio patroni.

28 FRANCISCUS Assissas, Umbriæ quondam alumnus, nunc Patronus (clarum terrâ cæloque nomen, eaque caussâ Fastis receptum) cùm vergente senio didicisset, propediem fore, ut rebus humanis, quas longo jam pridem fastidio nauseabat, eximendus, ad immortales lautitias evocaretur; quod vitæ adhuc reliquum erat, ne id quidem sine rerum cælestium sensu putavit esse traducendum. Sapienti sanè consilio, & cum ceteris vitæ studiis apprimè congruenti. Igitur, ut aliquem futuri saporem præciperet, cælique voluptates carptim, quoad mortali fas esset, in terris prælibaret, placuit diem CHRISTI natalem (& alioqui tempus suberat) exquisitè, præut vulgò dcteri solemus, & peraccuratè, ad veri speciem, instaurare. Nam quod argumentum eligere tunc opportunius potuisset, quàm noctis ejus imaginē redivivam, quâ cælum rore quondam lacteo, & plus melleo liquore meminerat pluisse, terrasque secundis bonorum omnium imbribus irrigasse? O noctis beatæ memoriam suavem! ô uberes delicias, ab ejus etiam solâ recordatione dimanantes! Verùm hanc

noctis ejus amœnitatem cupiebat, non soli memoriæ & cogitationibus objicere FRANCISCVS, quod meditando semper adhuc fecerat; nec auribus duntaxat committere, quod sermocinando sæpius insuêrat; sed oculis etiam ipsis, quod antehac nunquam licuerat, repræsentare.

29 QVAPROPTER his hujusmodi curis intentus, aggreditur tempori reique congruens palatium adornare; id est, humile pauperque tugurium inter condensa nemoris umbrosi arbusta exstruere; laresque stipulâ & arborum ramalibus intectos (squallens hiemis pluviæque domicilium) in stabuli faciem conformare. Id omne palatium in prædio erat, quod inquilini Græcium dixere: cetera locus silvestri horrore opacus, & solitudini peropportunus. In his penâtibus incipit; hîc è duro cortice præsepia concinnare, hîc lectuli vice fænum supponere; ibi collecta humi stramenta subjicere, mox de caduco folio paleâque pulvinum sternere; & de fragili culmo tegetem farcire; informes imparesque hospiti cunas. Jamque adeò stabuli faciem locus induerat, sed suis inquilinis adhuc vacuus; cui familiæ præpararetur, ignorabat. Igitur ne domus aliquid sui desidc-

desideraret, induci colonos jubet rude pecus asellum, & natum operi juvencum: jubet utrumque hinc atque hinc alligari præsepibus: jubet, in suam utrique cænulam, vile pabulum obsipari, omnia ad antri Bethlemii exemplum. Sed, quod usitatas stabuli fortunas unum superabat, aderant pensiles ab humili fornice lychnuchi, erant relucentes cerei, erant dispositæ faces; ut plebeii laris spelunca vix se ipsa, in peregrinâ luce, agnosceret.

30 CETERVM non solus hic tugurii ornatus spectaculo fuit, sed ut circumcircà omnis etiam vicinitas id noctis triumpharet, & arva prataque hîc Cælitum advolantium choreas, hîc pastorũ vigilantium curas, hîc accurrentium plaudentiumque turmas exhiberent, jam antè FRANCISCVS suis negotium dederat, ut silvæ locique accolas omnes, plebejum genus, ad frequentandam stabuli scenam in tempore excirent; utque nemora viasque relucere ignibus, auras modulatis sonare vocibus, omnia lætitiis studiisq; cogerent fervere. Crederet viator, auditis tot choraulis, alteros per nubes Amphionas volare, & novam cum Orpheo suo velle Rhodopen ambulare: sic ubique, & rusticæ testudines strepere,

ſtrepere, & citharæ tinnire, & nablia canere, & valles omnes colleſque geſtire audiebantur. Quidni autem arbitremur, in eo tot hominum ſtudio veros etiam opiliones, gregumque cuſtodes permultos vigilaſſe, qui noctis meridiem, oſtentis talibus plenum, admirati, cælum ab incolis ſuis crederent eſſe derelictum? quique, cùm ambulare per prata lucem, ingeminari per nemora carmen, curſare per devia plebem, conſenſu tanto viderent; itidem exciti, à paſcuis ſuis ad caſam, à gregibus armentiſque ad cunas feſtinarent? Feſtinarunt profectò, ne dubitemus, feſtinarunt & ipſi: debuitque ſua FRANCISCO voluptas integrè conſtare, ne ad veri imaginem deeſſe aliquid videretur, ſi inſtauratis Chriſti cunabulis, pars magna paſtores defuiſſent.

31 INTER hos populi affluentis concurſus, ut quique in pauperem ſtabuli ſpeluncam primi penetrarunt, inopinatâ loci ſpecie capti, nihil aliud, quàm in redivivum Bethlemii ſpectaculi tugurium delatos ſe arbitrati: quaquà oculos convertunt, enimverò hìc illis ſtipata fæno culmoque præſepia apparere, hìc faſciæ & cunarum crepundia videri, hìc pecus auritum

ritum rudere, hîc bucula ſimplex mugire. Ibi ſedulæ matris officium, in FRANCISCI obſequio; ibi Joſephi ſeniū, in FRANCISCI ſocio; ibi totum ſtabulum, in æmulatione tugurii figurabatur. Fervet ſtudiis antrum, ut omnes agi rem ipſam putaretis, non aſſimulari. In quo tanto tamen apparatu, quod ad rei ſummam vel maximè pertinebat, id unū abſentiâ ſuâ FRANCISCUM, ne ſolidè ſua gaudia gauderet, diſtinebat. Id verò cujuſmodi fuerit, etſi cogitando per ſe poteſt quiſque conjicere; tamen abs re non fecero, ſi ſtudeam hîc indicare. Nam ille quidem, ut reliquum ſtabuli ornatum fabrè ſcienterque concinnarit, tamen adhuc, neſcio quid, in vacuis præſepibus identidem improbare ſe oſtendebat. O quoties oculos ad cunarum paleas advertere! quoties ad rudes culcitas adjicere! & ſæpè deluſos, ſæpiùs tamen retorquere perſiſtebat? Poterat quippe tugurii quandam imaginem effingere, poterat ê ceſpite corticeque præſepia contexere, poterat ex opilionum ac bubulcorum tribu ſpectatorem accire, & in his univerſis quandam veri ſimilitudinem imitari: ſed in uno demum imitando ars illum omnis, æquè ac manus & ingenium, defecere. Intelli-

elligitis, video, omnes, hîc mihi quid ve-
im. Cupiebat hic Dædalus, in rerum cæ-
erarum tantâ similitudine, PVERVLVM
uoque verisimilem intueri. Hinc oculis
xplorantibus toties incunabula lustrare,
ecquid ibi simile apparere, ecquid vita-
moveri vagireque inciperet, tam anxiè
quirebat. Sed irriti tot oculorum con-
ctus, in totidem singultus gemitusque
mper desiere.

32 NAM ubi gentium, quæso, terrâ-
mque potuisset infantem reperire, quem
iic nostro similem, in cunarum stipulis
llocaret? An puppum fortassis aliquem,
iis quos marmore Pario, aut secto ebo-
factos, hodie in aræ pegmate multos
nspicamur, supponeret? aut cereum uti-
e signum, quod cerussâ niveum, & mi-
rubore verecundum, & auro radiatum,
turis penicillus colorasset, ibi reconde-
? Nugæ! Scilicet, aut posset agnoscere
ANCISCVS vitæ similitudinem in inani-
puppo? aut dignoscere Virginis filium
ysippi sigillo non posset? Facessite hæc
nnia. Nam in formæ hujus imitatione,
uè & Phidiæ labor erubesceret, & A-
lis color palleret: omneque vel Men-
is cælum, vel Polycleti studium, vel
Timan-

Timantis ingenium desperaret. Nos sanè cùm artibus magna quæque tribuimus, eas vix etiam naturæ æmulas facimus; & oris humani lineamenta expressisse, summa votorum apud artifices habetur: at ultra naturæ limites conari, & Infantis divinissimi venustatem oculis mortalibus subjicere, nondum sibi ne audacissimæ quidem artes arrogarunt.

33 QVID igitur in rem suã aliud FRANCISCVS inveniret? an ab arte depulsus, ad naturæ subsidia confugeret? & quemadmodum ad ceteras stabuli partes animandas, jumenta spirantia, videntesque pastores ac sentientes accersiit; sic alicunde & puerulum verè vagientem è nutriculę gremio surreptum, fasciis fallacibus includeret, eumque ut Bethlemio Infanti supparem, in cunis æmulantibus collocaret? O inanes tunc denique mendacesque cunas, quæ tam dissimili se sensissent imagine degravari! Tanquam verò natura quidquam animare tam solerter didicerit, ut oris divini clarissimum sidus, frontisque serenæ jubar, in ullo suo possit Astyanacte assimulare! Hyacinthos illa suos, ævique fabulas Narcissos, ut supra vulgares formas quondam eveheret, commentis indiguit: &

Hylæ colores diluit mendacio, ne contempti apud nos sorderent: in his ambrosiis CHRISTI ocellis, in purpurascentibus Dei genis, in suaviantibus Numinis labellis, quid effecturam imperita se sperasset? Cesset hanc formam, cesset conari tellus; in quâ concinnandâ cunctum cæli ingenium laboravit. Senium est, odiumque, quicquid aliud cum hac hujus pulchritudine comparatur. Et nobis fortasse, qui tam acutùm minimè videmus, imponere quædam rei similitudo potuisset; verùm enimverò FRANCISCUM, in celestibus dignoscendis hominem sagacem, & apprimè versatum, nullus neque pigmentorum fucus, nec purpurissi dolus, & neque artifex industria, neque opifex natura, ut trahi se decipique sineret, induxissent. Quapropter totam solatii vim & magnitudinem, ceteroquin abundè cælo affluentem, una, quam diximus, Infantis absentia temperabat.

34 JAM paulatim noctis conticinium inter gratulantium convenarum plausus abierat, cùm FRANCISCUS interim Socio, ad ipsa præsepia Sacris operanti, sic operam suam navabat, ut, quamvis oculos lacrimis assiduè madere, animumque desi-

deriis novis incalescere sensisset, non prætermittere tamen, quin, uti cœperat, ad sua identidem cunabula respectaret. Tum, ecce rem comperti prodigii, monstrique suavissimi referram! Quas enim ille cunas toties antehac non modò inanimas, sed etiam inanes informesque conspexerat; eas ipsas repente jam, Superi boni! quales, & quantum à seipsis mutatas, conspicatur! In asperâ rudique stipulâ, in paleæ culcitâ, in fæni stramentique pergulâ, cubare videt infantem. Videt, inquam, infantem, qui unus omnium hominum formas aboleret, qui radiis suis astrorum extingueret ignes, qui intuentium sensus raperet & amores. Hunc talem FRANCISCVS videt infantem. O suavem nobis Infantulum, & felicem! ô lectulo certè molliori, inque Regum palatio, non pastorum tugurio, collocandum! Atque tu quid ni anhelus ad talem accurreres FRANCISCE? quid ni volentem & obvium occupares? quid ni brachiis sinuque toto acceptum, festinus includeres? Accessi enimvero, occupavi, invasi, inclusi; & quanto id animi mei gaudio, putatis? Nos quidem, FRANCISCE, putamus, magno, ac propè dixerim, immenso.

35 NAM, si guttæ quondam unius sua-

vitas, ſenſibus illapſa, nihil tui tibi viſa eſt reliquiſſe; dum tacta fidicine cæleſti chelys reſonabat; iſque ludus non ſanè diuturnus, ſed, quaſi jocante plectro, inceptus ſimul abſciſſuſque vaneſcebat: quid jam te, toto nectaris fluvio temulentum, vel ſensûs vel animi retinuiſſe cenſeamus? Quid? quòd te nuper, cùm tu idem pactæ cum cælo ſecuritatis ſyngrapham accepiſſes, quâ æternitas tibi in tuto reponebatur, uſque adeò capere fortunas tuas nequiiſti, ut diebus continuis octo nihil aggredi, nihil moliri, nihil auſpicari aliud licuerit, quàm ut tuam tibi felicitatem gratulatus, Deum aſſiduè clamitares, laudares, amares? neque tum tamē ille ſe tibi reipsâ commiſerat, ſed dato ſolùm arrhabone ſe alligarat. At eundem nunc oculis tuis contemplans, eumdem faſciis conſtrictum intuens, eundem brachiis circumplectens, & manibus ejus pedibuſque tot oſcula ferens, quantam fieri voluptatis acceſſionem perſentiſcis? Profectò, ut ſollenne tuum, DEVS MEVS, ET OMNIA, ſæpe alias ſuaviſſimè exclamaris; hîc illud tu ſæpè ſæpius, & multò quàm antehac ſuavius, potes debeſque ingeminare.

36 REPETAT patrimonii aſſem præparcus

cus pater, neget adimatque filio vestem, abdicet exigatque nudum: cui Deus superest, ei & pater jam suus, & patrimoniū, & vestis est. Neque hîc se patris teneat injuria, sed ad contumeliam socientur plures. Rideat abdicatum frater opulentus, & egestatem occurrens exprobret: opum habet abundè, quisquis in complexu Deum habet. Horrido incultoque sit aspectu, & ubique perpluat informe stabulum: ubi Deus meus incolit, cælum est. Etiamsi frigus ambiat, etiamsi fames & sitis urat: flagrare sinus, pectusque satiari Numine potest. Omnes deserant, diffugiant omnes, omnes omnia auferant; Deum qui retinet, nihil amisit. Eaque propter exprobrate, qui vultis, FRANCISCO inopiam: dum Deus mihi meus est omnia, de inopiâ meâ quod conquerar non habebo. O sententiam vocemque FRANCISCO dignam! ô penuriam Crœsis Crassisque omnibus invidendam! Verè omnia, FRANCISCE, verè tu tibi omnia retinuisti, qui hunc tibi talem in summâ mendicitate Puerulum reservasti. At verò nos omnia, infortunati, amisimus, si hunc tibi Infantem uni soliq; totum relinquimus, si nō & ipsi invadere, nobisque totū vindicare, pari studio laboramus.

37 VERUM hic supervacuus timor est, siqui forte metuimus, ne socios felicitatis suæ FRANCISCUS recuset; liberalior est multò, quàm ut hæc suspicemur: quin adeò ne exspectat quidem, quoad lentis precibus hanc à se societatem postulemus; potiùs ultrò, quemadmodum advocare, invitare, attrahere universos ad boni sui communionem laboret, audite. Etenim, jam certè tum, ebulliente in vocem gaudio, ferunt ad frequentem populum, concionantis in modum, verba fecisse; quibus ad Bethlemium Infantem, omnium animos affectusque inflammaret. Quæ mihi verba, ô si eadem ad vos afferre nunc liceret! Nulli, reor, usque adeò duri ferreique jam sumus, quin dicentis oratione concussi, quàmprimùm vel in flammas amoris solveremur, vel in doloris lacrimas universi diffluerémus. Sed audiendus nimirum antè mihi FRANCISCUS fuerat, quàm eum apud vos, ore meo loquentem, producerem. Nunc intereà, dum, quæ ipse verba dixerit, incompertum habemus, hæc saltem dicere eum id loci temporisque potuisse arbitremur.

38 MISERI mortales, quò usque tandem ruere vos in diversa perseveratis? quò

mentes, sinistri, oculosque divertitis? & tamdiu vel deformia, cæci, vel incerta fluxaque, vagi; vel nocitura, stulti, vobis eligitis? Expergiscimini aliquando, & toties malè decepti, donec licet, resipiscite; neque ut magnis cogitationibus aërem verberetis, vota mille terrâ marique incassùm diffundite. Hîc, ecce, metam, hîc terminum ostendo quem appetatis; hîc omnis desiderii votique compendium invenitis. Nusquam aliò posthac studia curasque vestras convertite. In stabulo hoc omnis expleri mortalium curiositas, saturari omnis omnium cupiditas potest. Venite, adeste. En, immortale hic Numen, quemadmodum jacet! O vim amoris visu dictuque mirificam! Tun' è cælo Deum evocare? tu ad terras detrahere, & eumdem in hos corporis modulos ausus compingere? Tu illum pelle ossibusque circumdare, imperareque, ut in hac Infantis metamorphosi vagiens, matris papillas sollicitaret? ut lacteum virginis rorem, posthabito nectare, ambiret? ut, ambrosiæ vicem, mansum sibi pultemque præberi permitteret? Quis alius hoc licere sibi in Cælites sperasset? At neque hic tamen violentia tua stetit; sed eum, qui gentes laborato

tegmine, & animantium quasque suo vellere semper vestierat, effecisti tu, ut nudus hic ipse recumberet; ut hiberno frigore palpitans, lacrimansque, hominis præsidium imploraret. Cogit rei me novitas iterum exclamare: O amoris indolē violentam! Tu eum, cujus edicto cælum tonitribus remugit, & imperio mare tumescit, & nutu tellus contremiscit; eum tu, ceu debilem pupillum in stipulâ fœnoque deposuisti: cui palatii cælestis proceres apparere, cui siderum choragi excubare, quem erebi phalanges expavescere consueverant; eum tu infra homines, & verò etiam infra pecudes, (violentus, dicam, an crudelis?) abjecisti.

39. INTEREA vos, ô fluxæ gloriæ ridenda mancipia! ô superba, mortales, supercilia! vos, hoc tandē spectaculo convicti, erubescite: qui dum tectis marmoreis inter stragula serica lascivitis, auroque & ostro cubilia cingitis, & eburnâ trabe laquearia suspenditis, grandesque porticus & atria columnis distinguitis; interim in hoc vili tugurio, in hoc pecudum contubernio, EN, INFANS, DOMINVS DEVSQVE VESTER, en, quemadmodum cubat? en, ut luxum ille vestrum, quem lege mutâ nequierat,

quierat, loquente exemplò condemnat? Imperate vel hoc oculis veſtris, ut, quâ ſine faſtidio poſſunt, ad hæc ſtabuli præſepia, ad hæc inquam divinitatis mapalia, ſe paullulum demittant: & ſi ſenſus adhuc eſt, veſtra confeſtim palatia ſubſident. Familiam cunctam ſuſpicite, quæ jacentem hic Deum circumſtat: & veſtra ſe pompa, comitum clientumque legionibus aucta, ſubducet. Stipulas paleaſque contrectate: & mox ambitioſa purpura ſeſe abſcondet. Unum porrò unicumque reſtabit; ut, viſo tam conſpicuo modeſtiæ exemplo, veſtra quoq; ſupercilia, ſuperbiaq; detumeſcant.

40 Tv verò, plebs miſeranda, tu ſordidata reorum facinoroſorumque turba; quid etiámne iners agere res tuas cunctaris? nondúmne tu quidem accurrere huc feſtinas? neque ad hanc cunarum aram luſtrare te, veniamque noxarum expoſcere, gratiamque à judice inire, ignava, procuras? An hoc tu mihi, quod præſentio, fortaſſe dices? Accederem, niſi meus me metus, & animus malè conſcius deterreret. Quâ enim fronte ad illum mihi ſumam, aut greſſus intendere? aut manus attollere? aut oculos tutò advertere? qui

Olim fulgure, fulminiſque telo,

Olim sulfure, flammeoque nimbo
Sontes terruit, impiosque plexit:
Mersitque æquore perfidos, & undis
Terram ultricibus obruit rebellem?

huic ego me tam infenso violentoque judici committam? vix etiam ab insontibus, nisi trepidè, convenitur. Periimus, rea turba, quotquot accedere propiùs ad hoc tribunal attentamus.

41 ITA tu quidem: sed eheu! quàm longè falleris, miserabile agmen! Jam judex iste, quisquis olim qualisque fuerit; certè enim, posteà quàm in stabulo pernoctare, pòst quàm in paleâ recumbere, & inter mugientes rudentesque pecudes vagire didicit, ah quantò seipso mitior evasit? Amari jam solùm potest; metui & timeri vix, ac ne vix quidem potest. Certè quidem, ne posset, in hæc sese PUER cunabula abstrusit: & ne quà porrò in quenquam sæviret, suis se viribus Infans abdicavit. Nullis jam ille

Nec minis terret populos, nec actum
Torquet irato jaculum lacerto,
Nec gravi sontem metuendus orbem
Fulminat hastâ.

Quod enim spargerent hi tam debiles lacerti telum? aut quod amentum cerei digiti?

giti? aut pueriles hæ manus quod ſtringerent ferrum? Olim hæc omnia potuit voluitque, cùm conjuratam cæli ſuperbiam exſcindere, cùm orbem terrarum uno omnem naufragio mergere, cùm Pentapoleos mephitim piceis ignibus involvere, & in Ægypti copias, maris oportuit rabiem armare; enimverò tunc manibus iratis hæc tela, tunc fulgura fulminaque placuere.

42 NVNC belli conſiliis abjectis, & excuſſo manibus ferro, quid inermem imbellemque formidatis? Securi accurrite: damnum egomet omne periculumq; præſtabo. Eſt enim, eſt

Noxarum immemor omnium, & nocentum:
Iam nullas acuit ſeverus iras,
Ah, nullus PVER *iſte. Sævientem,*
Agno mitior, exuit leonem.

Inde & virium ſuarum oblitus, iram omnem in ignoſcentiam vertit; neque aliud modò exſpectat, quàm ut huc univerſi magno agmine, magnaque cum libertate properetis. Et quid ni autem properaretis? Tota hæc vobis cauſa, jam venia eſt. Judex ipſe, quem ſuſpectum infeſtumque habebatis, faſciis PVER adſtringitur, & in vinculis Infans attinetur: ipſum vos illum, ſi

 lubeat,

lubeat, nexum hic captumque invadere, abducere, abstrahere potestis.

42 Hæc ut fortasse talia FRANCISCVS ibi tunc dixerit, certè tamen ea multò aliter, &, ô quantò meliùs ardentiúsque, putandus est dixisse. Nos quidem utinam eâ conditione fuissemus, ut ipsummet ibi perorantem auscultare, & in illo tuguriolo inter suavissimos Christi amplexus ovantem, propiùs licuisset intueri! Non commisisset ille, ut immunes indidem sineret, & indonatos recedere; sed nobiscum aliquid sui caloris, & vel tenues ex eo ferro, quod cudebat, stricturas libenter communicasset. Intereà tamen perinde, ac si de longinquo saltem aliqua ejus verba percepissemus, accurramus & ipsi audacter, & ad divinissimos hujus Infantis pedes, inter tot alios FRANCISCI clientes & assecias, postremi advolvamur: quando præsertim, ne quà formidemus, ipsum illum & addere nobis animum, & præire exemplum, & promittere patrocinium, audimus.

IV. CHRI-

IV.

CHRISTVS puerulus in anonymi ADOLESCENTIS hoſpitio.

Ex Relation. Brandiſii.

43 SI cui novum hoc hodie mirumque videbitur, me prolixæ orationis copiam in unius narrationis anguſtias cogere; is, cùm rationes conſilii mei acceperit, rectè omnino ordineque feciſſe judicabit. Agimus enim de JESV, naſcente puerulo; vel, ut blandiùs dicam, vagiente infantulo: qui, ut lacrimis nos priùs quàm verbis cœpit compellare, ita non oratione magis quàm amore ſibi vult reſponderi. Cujus ut voluntati nos obtemperemus, equidem de ſuaviſſimâ ejus infantiâ verbis, quàm potero, pauciſſimis hìc narrabo; vos de eadem, quàm fieri poteſt, longiſſimis affectibus cogitate.

44 Adoleſcentulum ajunt ingenuum, neſcio quem, fuiſſe, eumque cùm aliis naturæ ornamentis honeſtum, tùm ſolidæ virtutis, præter ceteros, eximiè ſtudioſum: in quo ſcires nec ab indole formam, neque ab

ab hac, ingenii felicitatem dissensisse: & præ utraque tamen animi morumque décora, non ambiguo certamine palmam abstulisse. Cujus Adolescentis utinam mihi nomen hodie, locique vestigia, æquè ac gestæ rei memoria, suppeterent! ingenuam ejus appellationem nec aures, puto, nostræ refugerent, nec libri fastique repudiarent. Nunc sublato nomine (qui ævi melioris candor fuit) res plerumque nudæ in Acta sunt relatæ, quasi fidem seipsis inventuræ, si ad bonos perferrentur. Quòd si provida vetustas, exstituros aliquando sui tam dissimiles nepotes credidisset, qui fidem majoribus, nisi per testes mille caveretur, habere nullam vellent, libripendes, firmandæ huic etiam rei non defuissent. Sed dabimus hoc certè nos antiquitati, ut aliam narrationis syngrapham nunc ab eâ non exigamus.

45 EVM igitur, quem diximus, Adolescentem, cùm Christi genethliaca, ex temporis usu, jam appeterent, ferunt diu multùmque non vulgarem operam dedisse, uti per eos dies quicquid auspicandum esset, id omne per quàm observatè religioseque sic aggrederetur, ut ne quâ labe apparandum Christo nascenti domicilium inquina-

inquinaret: quippe non ignorabat perſpicax indoles, quàm illibatum integrumque ejus eſſe animum oporteret, cujus ſubire dignarique Infans ille hoſpitium vellet. Quâ quidem ſollertiâ conſecutus eſt, ut, cùm hoſpitis ejus permagno deſiderio teneretur, ea omnia agere molirique exactè perſeveraret, quibus ejus infantia capi maximè trahique poſſet. Ceterùm quænam illa, & cujuſmodi ſtudia fuerint, ſi animos huc advertemus, operoſum non erit divinare.

46 EQUIDEM ita mihi jam dudum perſuadeo, quicquid olim nos ipſi rectè ſtudioſeque facturi fueramus, ſi in expectando Virginis partu, par deſiderium animos inflammaſſet: aut, ut veriùs rem dicam, quicquid hoc tempore nos plerique facere per ignaviam omittimus, qui frigore noſtro hanc ipſam hiemis glaciem nivemque triumphamus; id omne profectò, & quicquid fieri aliud in re tali præclarè debuit, par eſt arbitrari, in hoſpite invitando Adoleſcentem hunc factitaſſe. Nolo tamē, in eo putemus deſudaſſe hanc tantam ejus induſtriam, quemadmodum in paterno lare Phrygiis aulæis parietes prætexeret, aut ſuum ipſe cubiculū conchyliato periſtromate

mate veſtiret: in quali plerumque luxu mortales apparatus ſuperbiunt. Nihil opus hac erat elegantiâ ad rem quam parabat; ſed novis artibus opibuſque alii quærendi ornatus fuerant, dum ambitionem purpuræ, animi modeſtia; ſtudiumque gloriæ, ſui deſpicientia, commutat: dum caduca perituraque contemnere, immortalia votis continuis appetere, & gaudia nocitura perennibus lacrimis inſiſtit damnare. O verè præclarum artificem! & ornandi operis lariſque apparandi, non imperitum! qui ſi pavimentum ſtuduiſſet aſarotis expingere, aut conopeo faſtuq; Babylonio pueriles cunas inſtruere, videretur hoſpitem egenum non magis invitare voluiſſe, quàm ingreſſu acceſſuque prohibere. Nam illum quis ad hanc opum & penatium illecebram audeat vocare, quem jam viderit ab Herodis ſublimi palatio ad humile tugurium divertere, & præ plumantibus Sybaritarum lectulis, inter paleas culmoſque recumbere; & contemptis aulæ ſervitiis, in caulâ pecudum obſequiis uti maluiſſe? Scilicet delirantis indicium foret, tali Mileſium cubile præparaſſe. Ea propter Adoleſcenti omnis apparatus inter animi virtutes conſumptus eſt.

47 Jam intereà nox illa, quæ sole purior sereniorque diem orbi terrarũ quondam attulerat, propinquare; & proin Adolescens novis caloribus, præ quàm anteà nunquam flagrare: ita quidem, ût crescente desiderio, moram porrò omnem queribundus refugeret; & expectati gaudii impatienter appetens, horam unam omnibus annis putaret longiorem. Quanquam eâ se tamen spe sustentabat, quòd crederet, utut astra lentè se circumagerent, dum postremò tandem expectata nox venisset, tum cælo certè maximè propitio se usurum. Jamque ecce vesper, & inde crepusculum, & primæ faces. Quid expectamus, quàm ut Adolescens suis se votis damnatum esse jam exclamet? Verùm ô spes hominum incertas! & vel irrita multorum vota, vel seris demum fructibus potitura! Inter hos ultimæ spei conatus, dum summa omnia præparat apparatque gestiens animus, sentit inopinatò, nihil se, & minus nihilo profecisse. Nam illa se tota priorum dierum suavitas, temporis momento amisit; cœpitque & illa cæli voluptas, antè redundans, velut exhausta, vanescere, & lacrimarum scaturigines siccari, & ipse etiam pectoris æstuantis ardor in hibernum gelu desinere:

desinere: ad extremum, quicquid ubertatis solatiique nox expectata promiserat, jam, ut si promissi pœnituisset, totum negare; ejusque loco, plenos mœroris luctusque congios propinare, ut cælum illi plusquam ahenum, nullisq; precibus exorabile, totum obsurduisse videretur.

48 Hic tantâ spe dejectus Adolescens, quid inciperet porrò, aut quò mœstus recurreret? An fortasse (quod multi, cùm adversis premimur, impiè solemus) injuriam hanc esse Numinis, amens clamaret? aut, malè locatas tot dierum mensiumque preces, effusos tot oculorum imbres, pervigilatas incassùm tot noctes, diceret? aut, cœpta mox omnia, cum hominum superumque conviciis, desperaret? Audite vos imò, atque obstupescite; & quotquot potestis, laudatæ virtutis imitandam constantiam suspicere addiscereque laborate. Quærimus enim, in hoc rerum suarũ naufragio quid agat? Persistit obfirmatè ingens animus, & voti etiam nunc potiundi certus, pervigilat id noctis in precibus; gemituque cælum, invitum propè adversumque, obtundit. Et, Abnuat, inquit, recusetque pertinax, non abiget insistentem. Vincet importunitas pia, quod mendicitas

nulla extorsit. Si surdum est, excantari artificio & surda quædam possunt: denique ferreum sit, expugnabo. Docuit magnus me Poliorcetes, quibus arietibus vel adamantinas portas effringeremus. Perseverandum in incepto est; & quicquid adhuc precantis verecundia nequiit, pertinacis violentia impetrabit.

49 DIXIT hæc indoles generosa; nec dixit fortiùs, quàm effecit. O maturum bonæ mentis consilium! ô animũ ingentem! & vel ideò morâ longiori differendum, ut plures hæc ejus magnitudo spectatores, imò admiratores laudatoresque inveniret. Nam si primis eum molitionibus mox omnia consecutum vidissemus, dicam liberè ac fidenter, non solùm ipse nobis admirationi non esset, sed & suum ipsi gaudium, tam inerti suspirio emptum, vilescere quodammodò potuisset. Quid enim? diceret, vix uno, quid mihi cuperem, nutu prodidi, votumque otiosè quasi fastidiens signavi, & manum languidiusculè porrexi; cum continuò cælũ se mihi omne aperuit, gazam effudit, sinum implevit, suasque delicias, quas desidem rogare propè piguerat, stertenti profusissimè objecit: ut non donari munus à liberali, sed excuti pondus

inutile

inutile obtrudive crederetur. Horum omnium nihil hîc, inquam, Adolescens cogitare jam potest, quando nectaris divini promulsidem non nisi pertinacibus lacrimis, precumque assiduis clamoribus, ac perpetuis pænè gemitibus obtinuisse, tamdiu dilatus ampliatusque, potest gloriari. Animus omnino dignus his demum deliciis inundari, quibus tam generosè didicerat carere.

50 QVANQVAM, quomodo etiam caruerit, in rem nostram erit, ut tandem aliquando cognoscamus. Noctis jam ejus, quâ de agimus, concubium aderat, & Adolescens adhuc in sui cubiculi recessu divina meditans, cæli pertinaciam de genibus oppugnabat; cùm interim lene quoddam in viciniâ murmur oriri, ac timidè, nescio quis, cubiculi foribus oberrare. Nihil eo strepitu moveri pugil, sed in incepto pergere. Pergit & alter in limine moliri, demumque molli digito januam cædere. Quid? nôn hîc saltem tu respicis, Adolescens? neque quis foribus tuis obturbet, requiris? Jube confestim succedere, quisquis est; jube, inquam, audacter: nam larem, quem hi mores excolunt, subire incolereque hospes improbus non volet.

Dictum, factum. Jubet perfamiliariter Adolescens, quisquis esset, succedere; ignarus adhuc, quem sibi, quamque exspectatum id noctis diversorem advocaret. Jubet: & ecce tibi! morâ interpositâ nullâ, pessuli reducuntur, versantur cardines, reserantur fores, & hiscentibus valvis, ingreditur. Quis enim ingreditur? quem hominum cælitúmve autumatis? Ingreditur, ambrosiâ luce radiatus, & nectare cælesti perfusus, & gratiis omnibus comitatus. Quis ille tandem? quid animum hiantem lingua suspendis? Ingreditur (ô felicitatis non explicandæ prodigium!) ingreditur

Phœbeâ face purior Puellus,

idemque

Astris clarior omnibus Puellus,

idemque

Formis omnibus elegantiisque,
Rebusq; omnibus, omnibusque, quotquot
Sunt usquam, fueruntq;, eruntq;, pulchris
Vnus pulchrior omnibus Puellus.

51 HIC talis inquam parvulus, hic talis infantulus, ad Adolescentē humi effusum, pieque supplicantem, ingreditur. Eccur autem his tot circuitionibus odiosè vos traho? verbo jam omnia absolvam. Ingreditur Virginis magnæ filius, puerulus, inquam,

quam, ingreditur JESVS. At miserum me! in hoc tâtæ fortunæ miraculo quid amens ego repentè conspicor? Vix tenuis hunc talem Parvulum tegit subucula, infestant niveos pedes manusque frigora, pavent tremuntque membra, & formosissimo inter filios hominum Puello.

Humectis (viden'?) imber ex ocellis
Viva vitreus instar exit unda.

Et hîc tu tamen, fortunate, cunctaris? nondum hospiti tuo aut vestem injicere, aut gelu depellere, aut manantes à genis lacrimas abstergere festinas? Adhuc in subeuntis vestigia irruere, adhuc in genua invadere, adhuc plantulis osculum imprimere, vereris? Sed nimirum, utcumque jam properes, lentũ est studium occurrendi, quod omne prævertit celeritas Infantis.

52 POST enim quàm sibi cubiculi fores in hunc modum patefecerat, prior ultrò accurrere ad Adolescentem Infans, blandeque de noctis hiemisque injuriâ questus, singultante animâ hospitium orare, & simul, extremæ sibi vestis laciniam pro amictu superinjicere, idque adversus frigora perfugium habere. Vidissemus hîc omnes contubernii angulos extemplò radiis collustrari, & Adolescentis

animum, erumpentibus flammis involutum, mille ſolatiis gaudiiſque repleri: vidiſſemus ora genaſque calentibus lacrimis, velut mellitis imbribus, rigari. Audiſſemus pectoris æſtuantis ſuſpiria; & quanta rerum noſtratium tædia, tanta immortalitatis deſideria ſonare. Atque ô ſi contingeret parvulam ab hoc incendio ſcintillam excidere, quis noſtrûm ultrò occurrere, eamque pleno ſinu excipere, non ſtuderet? Nam mutare vel modica ſtrictura nos poſſet, levique contactu totos ambureret: ut vel inde jam, quantum Adoleſcens exarſerit, quibuſque flammis conflagrarit, liceat æſtimare, in cujus feliciſſimo ſinu totum hoc debuit incendium reſidere.

53 SED inter hæc ipſa tam opimæ felicitatis principia, cæleſtiſſimus Infans è manibus oculiſque elapſus, hoſpitem improviſò deſerit. Deſerit, inquam, & abit. O infelicem te, Adoleſcens, ſi hoſpes hic nihil ſui apud te, fugiens, reliquit! ſi, quidquid inſperatò ſecum attulerat, inopinatò rurſus aſportavit! Ut enim plurima liberalis dederit, ut cæli divitias opeſque, cùm accederet, omnes imperticrit; quid lucri tu adeò feciſti, ſi iiſdem omnibus, cùm rece-

deret, te avarè ſpoliavit? Verùm abſit, ut tam ſordidè tenacem hanc Pueri fuiſſe fugam ſuſpicemur. Nam abiit ille tum quidem, ſeq; oculis mortalibus, quod æquum fuerat, ſubduxit: ſed animo tamen refuſus, intimè tenaciſſimeq; inhæſit; atque clientem, ingentis voti reum, de ærumnoſo fortunatũ, & lætitiis omnibus ſolatiiſque perfuſum reliquit. Quanquam ne oculis quidem ipſis ſua voluptas continuò omnis deceſſerat: nam Parvulum cæleſtem Adoleſcens aſſiduè velut adhuc præſentem adſtantemque contemplans, ſecumque jam diviniſſimæ formæ gratiam, jam vocis ſuavitatem, jam circumfuſæ lucis pulchritudinem requirens,

Expleri mentem nequit, ardeſcitq; fruendo.

Et ardeat ſanè, fruaturque felix hac ille magnitudine caſtæ voluptatis; nos intereà, & noſtras agere partes in hoc ludo, quouſque differemus?

54 ABRVMPITE mecum ſegnem hanc moram; quodque reipsâ nondum poſſumus, animo ſaltem cogitationeque repræſentemus. Et fingamus hodiernâ luce, hanc ſuaviſſimam naſcentis infantiam non eminus in malè ſarti ſtabuli ruinis hibernantem, neque inter cunarum faſcias lacriman-

eriinantem, è longinquo nobis objici (tametsi & hæc ſpectacula forent jucunda) ſed eam putemus hîc coràm adeſſe: putemus, renidentem ab uniuſcujuſque ulnis pendere; putemus, inter manus ſinuſque noſtros geſtire. Enimverò ſi talia nobis hîc hodie fingeremus (atque utinam potiùs ne fingeremus!) quis animus cuique noſtrûm? quæ mens? quis ſenſus appareret? caperéne felicitas noſtra beatitaſque ſe poſſet? Quid ulteriùs deinde, ſi hæc omnia non effingeremus, ut modò, ſed reipsâ manibus oculiſque, ut fortunatus iſte, veriſſimè uſurparemus; quid facturos, dicturos, cenſuros eſſe nos putatis? Utique beati nimiùm, & bonorum immortalium pleni, poſſemus admirari, poſſemus ardere, poſſemus amare & gaudere; ſed gaudia noſtra dicere, explicare, capere non poſſemus.

55 NVNC autem, poſtea quàm partum hunc diviniſſimum, has, inquam, noſtræ Virginis unas veraſque delicias, aliò nos divertiſſe, & ab alio caſtiſſimè videmus retineri; habemus unum, infelices, quod poſſimus. Poſſumus Adoleſcenti feliciſſimo invidere. O planè dignum invidiâ! ſed hac innoxiâ & amicâ, quâ talem illi Parvulum non quidem per vim & nefas eri-

piamus, ſed uni tamen ac ſoli non relinquamus. Agite proin, & mecum omnes audenter involate, invadite, & vel ſtabuli Palæſtini tugurium, inter opiliones repetite, vel ad occupatas Simeonis ulnas ultrò recurrite, vel me ductore, Adoleſcentis, quo de loquimur, hoſpitium explorate: ubique ſpes opima prædæ. Audiſtis, quò deſiderata Numinis infantia conceſſerit; quò ſeſe abdiderit, ubi latuerit, comperiſtis: eôdem alacres pergite, irruite, diripite. Sola hæc vis erit, quâ nulli nocebitur. Plurium amore dignus hic Puer eſt, à pluribus ametur, ab omnibus expetatur, à nemine dimittatur. Erit hæc ævi noſtri ignavia, erit nominis generiſque macula, erit temporis hujus labes immortalis & nota, ſi olim arguamur, nos omnes Adoleſcentulo uni reliquiſſe, quidquid omnibus ubique ſuffeciſſet.

V. CHRI-

V.

CHRISTVS PVERVLVS in Innocentiæ convivio.

Ex Antonino Sen. in Chron. Præd. 12. 40. *Ioanne Majore in Speculo, v. Puer* JESVS, *exemp.* 2. *Rad. Virid.* 2.

56 SI quando res ulla post homines natos usquam gesta est, cujus inexspectata festivaque novitas (admiratione dicam an voluptate?) complere nos largissimè possit; eam ego rem, ni vehementer erro, in præsentiâ producturum me confido. Etenim si Christi potuit infantia, cùm è matris gremio ad Simeones, aut Franciscos, aut alios aliquos jam ævi maturos descenderet, oculos nostros animosque suavissimè tenere; quid ni parem ego nos, ac fortè etiam majorem, capturos esse voluptatem arbitrabor, si eundem aggrediar ostendere, cum ephebulis quoque & primæ innocentiæ candidatis familiarissimè colludentem? Aggrediar enimverò, & libenter; unaque & meam in eâ re commemorandâ fidem, & in audiendâ ceterorum mihi attentionem pollicebor,

piamus, ſed uni tamen ac ſoli non relinquamus. Agite proin, & mecum omnes audenter involate, invadite, & vel ſtabuli Palæſtini tugurium, inter opiliones repetite, vel ad occupatas Simeonis ulnas ultrò recurrite, vel me ductore, Adoleſcentis, quo de loquimur, hoſpitium explorate: ubique ſpes opima prædæ. Audiſtis, quò deſiderata Numinis infantia conceſſerit; quò ſeſe abdiderit, ubi latuerit, comperiſtis: eôdem alacres pergite, irruite, diripite. Sola hæc vis erit, quâ nulli nocebitur. Plurium amore dignus hic Puer eſt, à pluribus ametur, ab omnibus expetatur, à nemine dimittatur. Erit hæc ævi noſtri ignavia, erit nominis generiſque macula, erit temporis hujus labes immortalis & nota, ſi olim arguamur, nos omnes Adoleſcentulo uni reliquiſſe, quidquid omnibus ubique ſuffeciſſet.

V. CHRI-

V.

CHRISTUS PUERULUS in Innocentiæ convivio.

Ex Antonino Sen. in Chron. Præd. 12. 40. Ioanne Majore in Speculo, v. Puer JESUS, *exemp. 2. Rad. Virid. 2.*

56 SI quando res ulla post homines natos usquam gesta est, cujus inexspectata festivaque novitas (admiratione dicam an voluptate?) complere nos largissimè possit; eam ego rem, ni vehementer erro, in præsentiâ producturum me confido. Etenim si Christi potuit infantia, cùm è matris gremio ad Simeones, aut Franciscos, aut alios aliquos jam ævi maturos descenderet, oculos nostros animosque suavissimè tenere; quid ni parem ego nos, ac fortè etiam majorem, capturos esse voluptatem arbitrabor, si eundem aggrediar ostendere, cum ephebulis quoque & primæ innocentiæ candidatis familiarissimè colludentem? Aggrediar enimverò, & libenter; unaque & meam in eâ re commemorandâ fidem, & in audiendâ ceterorum mihi attentionem pollicebor,

 57 EST

57 Est in terrâ Lusitaniâ locus, quem Sanćterenses beato Dominico sacrum, & ab ejusdem Asceterio celebrem habent. Ibi annis abhinc propè quadringentis, Bernardi nomen, in eâ familiâ, clarum est: viri tum cetera omnia religiosi, tum hoc præter cetera eximii, quòd morum optimorum candore, germanum Dominici clientem palàm referret. Neque enim tantus hominum aliorum est ardor, ut ad magna mox evadere, ut æqualium quemque transscendere, ut in summis liceat, spreto ruinæ periculo, consistere; quantum istius votum studiumque fuerat, ut ad ima quæque descendere, & contemptim, quoad mortalibus oculis planè vilesceret, infra omnes abjectus posset latere. Quo in genere id ratus est fore consiliis suis opportunum, si aliis humanæ sapientię studia, rerumque sublimium fastigia tentanda relinqueret; ipse verò in tradendis litterarum elementis exercere se, tenerosque puerorum annos ad calcanda virtutis vestigia ducere sineretur.

58 Non passum est Numen hanc hominis mentē spe suâ excidere: impetravit. Nactus est haud multò pòst ephebulos duos, tenues quidem illos, & mediæ ple-

bis

bis tirones; indole tamen præditos bonâ, & quos ad omnem nutum magister non ægrè conformaret. His BERNARDVS in ludo, paucisq; hoc genus aliis, præfectus, quidquid à divinis reliquum erat, id omne tempus in suos alumnulos hilaris doctor alacerque tribuebat; operam navaturus egregiam, si inter characteres ducendos, & elementa dignoscenda, primarum quoque virtutum lineamenta formare prætextati clientes edocerentur. Intelligebat enim homo sapiens, quantum in eo momentum verteretur, quamque gratum id æterno Numini studium, & juventæ periclitanti necessarium, Reique demũ publicæ foret salutare: neque cladium magnarum exempla, alios plerunque fontes habuisse, quàm quòd in litteris complures sic adoleverint, ut vix secundis in curis habuerint virtutem.

59 SED hìc mihi tacendus non est mos ille, qui tum invaserat, quique hodie apud non paucos obtinet, ut parvulis, cùm manè ad ludum itarent, suæ cuique dapes, parcæ quidem illæ ac pauperes, jentaculi vicem, deferendæ, à parentibus traderentur: ut penso memoriæ apud magistros soluto, indidem ipsi, cùm videretur, jentarent.

Idem hoc servatum egregiè, etiam in iſtis. Atque accidit iis percommodè, ut ædicula templi vicina, ludoque pænè contigua, ſuum illis quotidie triclinium eſſet. Illuc namque ab opere litterario digreſſi ſeſe unanimes, velut ex præſcripto, recipiebant, ſymboliſque de ſinu expromptis, & ſuper aram, quà cuique licuit, explicatis, alterum alteri candidè modeſteque invitabant. Hîc erat ſæpenumerò videre jucundum, quas quiſque de paupere perâ, quamque miſellas opes educeret: Cereris plerumq; jam adeſæ duratæque fragmentum, & ovilli caſei muceſcentẽ quadram: aliquando repoſtam è cænæ ſpolio placentam: aliquando nucẽ nunc juglandem, nunc avellanam. Quòd ſi, pro re natâ, vel lectæ caſtaneæ, vel recentes à flore amygdalæ, vel aliquid uvæ duracinæ obtigiſſet; tum uterque in Luculli Apolline convivari, & lautitiis omnes Apicios viſi provocare. Subinde, matrem nacti benigniorem, etiam voſêmum autumni pyrum, aut decumani ponderis pomum eblandiebantur, quo menſas communes inſtruerent. Denique ſemper aliquid horum in medium deferebant.

60 His hujuſmodi apophoretis illa

parvulo-

parvulorum jentacula parabantur; & quæ duorum concordia in conferendis, eadem in carpendis capiendiſque dapibus conſtabat. Non alter alterum occupare, non invidere inter ſe, non præcipere: ſed pari uterque modeſtiâ, cedere magis, quàm contendere: neque quemadmodum aliena reciperent, ſed quomodo ſua melioráque apponerent, laborare. Negares eſſe pueros, in quibus hos mores etiam ſenibus decoros conſpexiſſes. Sed pleraque hæc omnia BERNARDO, bono magiſtro, dociles tirunculi debuere. Hæc igitur convivia, cùm eodẽ in loco jam ex uſu frequentarentur, non fefellerunt oculos cælitum: quippe quos denique ipſos hæc ephebulorum ſimplicitas, ut ſpectatores ſemper habuerat, ſic propediem & convivatores eſſet habitura.

61 ERAT in aræ pegmate, propter quam alumnuli diſcumbere concordi ſigmate ſolebant, Virginis parentis antiquâ formâ conſpicuum ſignum, è tiliâ fabrè venuſteque cęlatum, & auri pigmento non tenuiter neque parcè illuſum. In hujus gremio aliud, uti mos eſt, ſigillum inerat Pueruli æquè elegantis ac formoſi, ut quem facilè ſcires pulcherrimæ matris

non dissimilem prolem assimulare. Nec abs re fecero, si pueri sigillum illud dixero, pallâ sericâ, auratoque amictu, & pendulo monili, bullisque aliis (ex more, quo etiamnum amiciri, & in aris nostratibus sacræ destitui imagines solent) exornatum fuisse. Cogitemus inquam, hanc ejus parvuli speciem habitumque nituisse; & quid usu deinde venerit, auscultemus. Discubuerant ii, quos memoravi, pueruli, ut ex lege suâ, quam tulerant, unanimes jentarent. Promunt ergo conferuntque symbolas. Jamque partes adorti carpere, vident, ecce tibi! cælatum Christi sigillum librare sese, & expeditum materno de sinu graviter lenteque descendere, perque aræ patentis spatia ad jentaculum rectâ festinare; ac, ne duo infra Gratias accumberent, sese tertium addere. Tum dein comiter injectâ manu, partem sibi suam capere, & vultu renidenti, æquè ac reliqui, comesse, ceteraque in aliorum morem agere; denique remotis jam mensis, cùm tirunculos ad ludum hora revocaret, etiam simulacrum Pueruli automaton ad matris ulnas postliminio remigrare.

62 EXPECTATIS jam, puto, nec id fortassis immeritò, ut prolixè vobis hîc memorem,

morem, quis duorum in re tam novâ subitaque motus, quis animorum habitus, quis in corpore exstiterit gestus. Nulláne eorum exclamatio, inter admirationem, eruperit, nulla expaventium trepidatio, nulla de spectaculi insolentiâ consternatio invaserit. Nos enim ne audire quidem hæc, aut legere, nisi attoniti, possumus: illos, qui eadem oculis viventibus inspexerunt, eorumq; pars magna ipsimet fuerunt, quantò amplius credendum est obstupefactos adstitisse? Rectè nos quidem, & si suis momentis rem per seipsam expendamus, nequaquam temerè sic statuemus: verùm, si ad hos innocentiæ prætextatos descendamus, ajo, nihil tunc illos istorum, minusque nihilo, factitasse. Ipsa enim innocentia sensum illis miraculi ademit: illa spectaculo tam novo novitatem, illa intuentibus admirationem detraxit; ut, si præfatus ego apud vos non fuissem, hoc solo argumento simplices animos, niveæque mentis infantiam fueritis deprehensuri. Quare ii tum quidem, ut si nihil insolitum conspexissent, abeunt è loco, incuriosi, indeque ludum, atque indidem lectulum, ut tempus monuit, somnumque jussi revisunt.

63 Jam tenebris cedentibus, etiam ſomnus diffugerat, aderatque lux altera, & cum luce, vigiles alumnuli rurſus ad magiſtrum & penſum; atque à ludi diverticulo rurſus ad aram, cum ſuâ quiſque ſportulâ revertuntur. Commodùm accubuerant; & rurſus continuò movere ſe Puer, rurſus è virginis ſinu ad jentaculum decurrere, rurſus hoſpes aſymbolus accumbere; idque tertiâ dein, idque quartâ luce, & rurſus quintâ ſextaque, ſtrenuè facere; ſemperque cum aliis ita recedere, ut ſi juſſus hoſpes vocatuſque quàm maximè fuiſſet. Ea res cùm in conſuetudinem uſque fieret, cœpit alios, tametſi ſimplices, poſtremò demum advertere. Nam augente convivarum numero, nō æquè demenſum & annona creſcebant, utpote quę tantò jam parciùs ſingulis obvenirent, quantò in plures erant dividunda. Quamquam non erupit tamen ne tum quidem in querelas admiratio: ſed modeſtè tamdiu premebatur, donec ſpes ſuberat, futurum aliquando, ut hoſpes gratuitus & ſuam ipſe ſymbolam ad commune triclinium apportaret. In quâ exſpectatione cùm fruſtrà ſe eſſe denique cognoſcerent, tum verò placuit, acceptam, uti rebantur, injuriam ultrà non diſſimulare.

64 Ad

64 AD BERNARDUM ergo placidi recurrunt, & doctori ſuo de rei indignitate pueriliter conqueruntur: Non deeſſe ſe ſuis partibus, ſed pro virili, ut cujuſque copiæ ſint, ſymbolas ad aram liberaliter afferre: ceterùm ſupervenire jam crebriùs convivam planè immunem, qui ſeipſe ſemper invitet, ac de alienâ quadrâ non illiberaliter jentet: Nec aſpernari ſe adventorẽ, quippe ingenuæ frontis, & (quod quidem appareat) haud malæ indolis puellum, dum lege tamen ſirempſe victitaret, deque ſuo vel pauxillum aliquid ſubinde poneret, neque planè eximius immuniſq; tam familiariter dapes gratuitas comeſſet. BERNARDUS nondum quid rei ageretur intelligens, ecquem ergo convivam ephebuli vellent, & cujus parſimoniam accuſarent, indagat; ratus, unum aliquem è ſuâ item diſciplinâ notari, cui gratis alienum cibum comeſſe, ceterorumque annonam accidere, prælicenter luberet; eum paratus, ſi proderent, pro imperio ab inferendâ injuriâ prohibere. Ajunt illi, quod res erat, Parvulum eſſe quendam, prætextatum, aureâ cæſarie, cinniſque flaventibus, & reliquo corporis habitu non invenuſtum; illum adeò ipſum, qui interdiu quidem in-

ter ulnas beatæ Virginis permodeſtè quieſcere ſolitus, appetente pòſt jentaculo, ſocium ſe continuò addat, atque à brachiis maternis deſiliens, in ſigmate primus omnium recumbat. Eam rem inſuper habendam ſibi non videri.

65 HIC tandem BERNARDVS, non perinde tiro, quid fieret, & quò tam placidæ duorum querelæ ſpectarent, palàm agnoſcere, ſecumque attonitus rem comperti miraculi, quid portenderet, conſiderare. Utique, rudem ætatulam, ejuſque ſuavem innocentiam Deo non parum complacitam eſſe, cui tam rari amabiliſque prodigii gratiam feciſſet. Neque ſtaturum in hoc limite Numen; ſed quem ludum ludere cum tirunculis ſuis inceperit, eum porrò continuaturum. Quare facilè produci hanc cæleſtis Favonii auram, etiam ultrà, poſſe, ſi parvuli conniterentur. Par autem eſſe, ut alumnulos rudes, quid eâ in re facto ſit opus, magiſter ipſe priùs inſtituat. Itáne verò? alios ego, quid conſilii ſibi capiant ad cælum expugnandum, erudiam, & mei ipſius in eodem affectando obtinendoque rationem excors non habebo? O miſerè nimis, malequé locatam doctoris operam, ſi diu ſecum anxieque

deli-

deliberet, quemadmodum pueros quadrimos ad felicitatis fastigium compendiò perducat; ipse autem, ut unà pervenire, partemque talis fortunæ possit capessere, per ignaviam væcordiamque omittat! At enim debet hanc discipulis operã doctor! Hanc debeo sanè; sed eandem & mihi, vel præ illis, vel certè cum illis, cur non debebo? Quæ quidem si eadem procurari simul utrisque potest, quid opus est operam partiri? Audendum est, dum occasio monet. Unum idemque consilium vel expediet utrosque, vel profectò neutros occidet.

66 DIXIT hæc apud animum suum BERNARDVS, & maturato opere, speique plenus, ad prætextatulos duos, Ite vos, inquit, ô mei, & crastino, cùm luxerit, ad triclinii vestri sigma, quantum potest, recurrite; quæque soliti adhuc estis, eadem omnia instaurate: sed hospitem illum advenamque, quo de memorastis, cùm etiam asymbolus accesserit, ne arcete: (quæ enim, malùm, hæc foret humanitas, talem arcuisse?) quin etiam benevoli, præ ut aliàs, venientem accipite, vestræque sportulæ copiam illi, quoad ipse volet, lubentes facite. Qui tamẽ si denuò, ut antehac,

hac, immunis cœperit abitum parare, tum verò vos, quin abeunti, quàm blandissimè potest, inhæreatis, non intercedo. Inhærete, inquam; & modestè, ut paria vobiscum facere, & toties gratuitus conviva, suum & ipse aliquando epulum vobis vestroque doctori præbeat, efflagitate. Patrem enim habet, omnium rerum opumq; copiâ affluentem, qui proinde & habet quod det, & dat, nemo largiùs; tùm autem, si convivia quæramus, accipit nemo meliùs prorsus, neque prolixiùs. Dictum factum. Etenim isti, ad omnem nutum parere jam docti, quid aut recusare contumaces, aut differre segnes desidesque auderent?

67 IGITVR simul atque dies altera cælum reduxerat, isti cum suo singuli opsonio ad ludum, nec multò pòst, cùm tempus vocaret, ad templi aram divertunt; præcepti, quod pridie magister dederat, memores apprimè. Id loci annona miscella expromitur, moreque solito accumbitur, estur. Hìc iterùm redintegratum spectaculum, & quàm dictu mirum, tam visu audituque jucundum! Molitur exemplò sese, & in omnium oculis de Virginis sinu delabitur exspectatus conviva, rectaque

ad ſuos; accumbit, atque epulas unà capit, carpit, edit. Diſſimulant commilitones, feruntque ex compoſito omnia; & patienter, quod magiſter juſſerat, diſceſſum operiuntur. Poſtremò cùm, abſumptis jam dapibus, ſatur abiturum ſe demonſtraret, & nullius, ne tum quidem, ſymboli ſpem convivatoribus relinqueret; hìc jam unus duorum candor ſimùl in voces prorumpere, & cum hoſpite nondum agnito palàm expoſtulare, deque damno acciſæ annonæ comiter placideque balbutiente propemodum ore conqueri. Alter præcipuè, paullulò quàm alter ſeu diſertior, ſeu audacior.

68 Et nempe, Quouſque tandem hoc? inquit; aut quamdiu ſpes noſtras proferre, conviva, perſeverabis? Num aſſiduè hoc erit, ut nunquam de tuo reponas? Atqui nos certè ſportulas noſtras, & quicquid è paupere matris penu conferre licuerat, (tenuem quidem reculam, ſed tamen omnem) partiti tecum ſæpe ſæpiùs libenter fuimus; & immunis tu tamen, nondum ad nos tui opſonii quidquam attuliſti; ſed æquè & veniſti ſemper aſymbolus, & receſſiſti. Non accuſamus hoſpitem; ſed ſi mutuum tamen aliquid ab hoſpite nos

item exſpectemus, nemo fortaſſe nos vel ſordidè avaros eſſe, vel ruſticè inhumanos, cogitabit. Patere tu igitur, ut hodie ſymbolam à te aliquam, non jure quidem efflagitemus, certè autem promitti benevolè condicique audiamus. Plus nimio compenſata fatebimur noſtra omnia, ſi convivator ad mutuas dapes, vel ſemel, invitaveris; noſque, & noſtrum nobiſcum doctorem epulo paterno, quo potes, acceperis. Dixerant hæc illi, propè adhuc ignari quid dicerent; inde, quod unum poterant, abeuntem Puerulum amico murmure proſecuti, ad orbatæ matris gremium reduxerunt.

69 ELICUIT innocens duorum querela vocem infantis, ut rupto ſilentio, quod pueri rogaverant, prolixiſſimè polliceretur. Mactè animo eſſent: nam brevì ſe illis geſturum morem, & pro impertitâ ſibi ſportulâ *Rectam*, pro jentaculo *Congiarium*, pro merendâ *Epulum adjiciale*, de ſuo præbiturum: quo vel uno recreati, nunquam porrò ſe eſſent, veluti parcum & aſymbolum, traducturi. Irent intereà, nuntiumque magiſtro afferrent, propediem futurum, ut ad paternos lares invitati, loca & lautia caperent, ſuprà quàm vel avari poſſent,

possent, vel famelici, desiderare. Addidit, diem ei se convivio dicere, illum, quem anniversarium sibi triumphanti, cælumq; repetenti, mortales dicassent. Proin alacres ad iter sese, epulique promissi lautitias appararent.

70 Hic ephebuli, etsi necdum liquidò, quid epuli futurum id esset, intelligebant: læti tamen responso, festinant illicò ad BERNARDVM recurrere, gestæque rei seriem omnem, ut acceperant, retexere; sed præcipuè epuli condicti nuntium apportare. Quæ quidem omnia, quo animi candore frontisque serenitate, & parvuli renuntiarint, & BERNARDVS acceperit, supersedeo monere; cùm in promptu cuique sit ex reipsâ conjicere, interiora ejus solatia per omnes corporis sensus illustribus indiciis erupisse. Sed hæserat tamen inter principia suspensus, & adhuc anxiè, quid se uno futurum esset, BERNARDVS expectabat, donec ingenuè clareque, & ipsum invitari nominatim; & diem, quo convivium iniretur, haud longinquè abesse, docuerunt: tum enim homo insuetis efferri lætitiis, inque voces inque laudes resolvi; simul gaudii testes lacrimas fundere, simul gratiis precibusque cælũ complere,

plere, & mortales de cetero curas exoſus, in id modò unum incumbere, quemadmodum animo rectè ornato inſtructoque diem edictum præſtolaretur.

71 SAPIENTER tu iſtud, BERNARDE (cogit enim fortuna me tua, ut ſerie narrationis interruptâ, te tuoſque alumnulos compellem) ſapienter hoc, inquam, & præclarè inſtituiſti. Etenim, ſi Sybaritidas quondam accepimus, ut comparando muliebri mundo ſufficerent, toto priùs anno ſolitas invitari, quàm adduci ad civium ſuorum epulas menſaſque ſe paterentur; ne, ſi plus æquo properaſſent, inter æquales comptæ minùs apparatæque comparerent: quid te modò, quid alumnulos tuos æquum erat facere, qui ad Agni nuptias, Cælitumque ambroſiam & nectar hauriendum eratis invitati? Nam profectò vel hac unâ in re, vel alibi nuſquam, viris decorum eſt, ut illis, dum comuntur, dum moliuntur, annus eat. Valeant Aſſueri dapes & fercula, nihil hìc neque Neronis triclinia, neque Vitellii luxus & ſigmata nominentur. Quos cælum vocat, Deuſque promiſſo congiario invitat, iis noſtra convivia inter mera ſolent jejunia reputari.

72 SECVNDVM hæc agere clàm multa BERNARDVS, quàm copiosè apud alios dicere, præstabilius duxit: & aliud nimirum velle, decretæ temporis angustiæ prohibebant; quas norat sibi non in amicorum salutationibus deterendas, sed ad viaticum itineri parandum, concessas esse. Igitur ingruente paullatim eâ luce, (quam ipsi, tametsi properaret, tardam tamen lentamque incusabant) hospites beati unà omnes ad templi sacrarium concedere; & forsan ad eamdẽ omnino aram properare, quam felicis arcani consciam, pactique convivii testem habebant. Associati, omnium ordinum multi comitantur. Nam tales quidem convivas, quos sciremus ad immortales epulas vocari, quis adeò segnis foret, ut comitari vel ad aras usque recusaret? Comitati sunt, inquam, alii multi. Atque ô utinam & nobis interesse tunc, videre, comitari, reique delicatissimæ eventum exspectare licuisset! Re enim verâ, tam jucundi spectaculi scena, omnium voluptatum aliarum cupidines in nobis restinxisset. Verùm, quò usque miseri votis inanibus ultra limites provehimur? Calcanda priùs hæc horum vestigia nobis erunt, quàm ad eorundẽ fastigium pertingamus.

Non-

Nondum alteri nos Bernardi ſumus, qui noſtris exemplis tales nobis clientulos informemus. Quid autem nos Bernardi? ne diſcipuli quidē adhuc BERNARDI fuimus, à quo erudiri ad æmulas virtutes ducique nos ſineremus.

73 CETERVM, ut ad inſtitutum redeat narratio; cùm BERNARDVS eo die, quem diximus, ad aram operaturus accederet, duos voluit probati candoris ephebulos adeſſe, qui litanti operam navarent: ut, quos communis felicitatis nuntios habuerat, eoſdem & ſocios conſorteſque intueretur; ſimul ut hoſpites ad deſtinatum immortalitatis nectar evocandos, Chriſtiano priùs viatico, id eſt, cæleſtis epuli promulſide, initiaret. Nam cui dubium eſt, quin tot intermediis diebus ambos ille perpulchrè, quò invitatio Parvuli tam nova pertineret; quæ ejus dapes, quæ Parentis ædes forent, edocuerit? ut tantò nimirum impatientiùs eſurirent, quantò clariùs ii, quid ambroſiæ nectariſque pararetur, prævidiſſent. Unde facile eſt cogitare, magnis eos inter ſacra deſideriis æſtuaſſe, & ſingula horæ momenta totis propemodum annis longiora cenſuiſſe: dum futurorum conſcii, ſuam ęternitatem animis,

animis, ac pænè etiam oculis contemplarentur. Cùm deinde, quò longiùs in ſacris perpetrandis progreſſi, hoc propinquiùs ad deſtinatam hilaritatem accederent; cùm in ſacrorum fine denique conſtituti, vix paſſum alterum alterumque ad metam reſtare jam viderent; ingentes, mihi credite, motus animorũ neceſſe eſt extitiſſe. Quorum ſi reliquiæ ad nos aliquæ provenirent (date veniam qui auditis) alii continuò, & ab iis qui vel fuimus olim, vel adhuc ſumus, longè diverſi eſſemus, neq; cæleſtium porrò tam ſocordes negligenteſque viveremus. Nunc noſtro, tempore dicam an frigore? impediti, hoc ſolum retinemus, ut hæc aliorum gaudia narrari pænè immoti audiamus.

74 Atqui intempeſtivus hæc ego talia lamentor, qui hiſtoriam, ad metæ pulcherrimæ flexus properantem, veluti injecto ſufflamine, neſcio quid retardo. Veniendum eſt eò tandem, quò dudum ipſa nos rei ſeries vocat, quando ipſi jam illi teneri ſe diutiùs non ſinunt, quos mellis divini parvulâ guſtatione captos, juvat ad ipſum fontem promiſſæ voluptatis properare. Et meritò quidem properatis, ô fortunati! Quid enim morari longiùs inter

hæc

hæc terræ noſtræ jejunia delectet, quando cælum jam epulas ſuas, ſuæque immortalitatis falernum propinat? Ite alacres aliquando, animoſq; mulſo cæleſti irrigate; illo vos epulo paſcite, illis cupediis ſaginate. Nos interim ſiti fameque laſſos, unâ vel ſtillulâ mellis veſtri, vel guttulâ beati roris, vel miculâ felicitatis, appoti vos ſaturique, reficite. Nihil ea de copiis veſtris, nihil ex annonâ, quâ fruimini, diminuet: neque enim ipſum convivii florem audaces appetimus, ſed cruſtulis de menſâ excidentibus contenti, reliquias cùm famelicis affectamus.

75 ECCE autem! hæc ipſa dum abſentes inter nos conferimus, & abeuntes convivas ultimis votis appellamus, interim, qui præſentes aderant alii, rem intuentur, incæptu eventuque admirandam. Vident hinc BERNARDVM, hinc vident clientulos BERNARDI, cùm in arâ hic facere, hi ſervire, commodùm deſiiſſent, genibus flexis ſupremas preces nuncupare: & uno omnes ſopore demulſos, cadentibus ſenſim palpebris, lumina condere; mox languidas cervices humi, velut in molli pulvino, reponere, aramque ante ipſam ſuaviſſimè condormire. Condormire, inquam; ſed

ſomno,

ſomno, poſt homines natos, in primis felici ac beato. Somno, quem nemo certè mortem, ſed exoptatæ quietis ſoporem, vitæque tranquillioris originem appellaret. Accurrunt tamen, qui tum aderant, confertim omnes; & turbam jacentem, ut in re ſubitâ, circumſtant, quid acciderit, explorantes. Sed enim, quos conſopitos fortuitò crediderant, dum excitare nequicquam ſtudent, deprehendunt, gaudiis occupatos, felices animas expiraſſe. Oritur, juxtà ac debuit, feſta populi admiratio, tollitur multorum clamor; nulla, ut in funere ſolet, comploratio, ſed geſtiunt omnes, & opertos injectis floribus, roſiſque contumulant; nemoque jam mortuos credit, quibus hæc immortalium fortuna conceſſa tam liberaliter fuiſſet.

76 ADDAMVS & nos aliquid huic tali, ſi vacat, ſpectaculo: addamus, noviſque his cæli inquilinis non leſſo mortuali, neque funebribus exequiis parentemus, ſed tanquam triumphantibus gratulati, plauſum demus; & quorum ſecundiſſimos eventus optare ſibi quiſque noſtrûm incipimus, eorumdem auſpicatos ingreſſus, morumque candorem, & pios in *Ieſum* puerulum, matremque Pueruli affectus;

quantis maximis obſequiis ſtudiiſque poſſumus, æmulari, quoad vita ſuppetet, contendamus.

VI.

CHRISTVS in corde piæ VIRGINIS deſcriptus.

Ex Ioanne Majore v. Dilectio, exempl. 2. & Speculo magno.

77 NEQVA olim vel ætas hominis, vel ſexus, conqueri de Cælitum parſimonia poſſit, ſi aut ſenibus ſolis, aut juvenum fortè nonnullis, fieri hanc copiam putent, ut ad Chriſti pueritiam, cominus venerandam, cum Simeonibus Franciſciſque admittantur: neceſſe habeo, non modò parvulos jam aliquos, qui pari prærogativa gloriarentur, produxiſſe; ſed etiam puellas virgines de hinc, quibus eadem felicitas, annuente cælo, perliberaliter acciderit, commonſtrare. Audite, ſi qui adhuc neſciiſtis, & rem ſcitu non indignam addiſcite: aut, ſi qui jam antè meminiſtis, tamen auſcultate, & placidi libenteſque recognóſcite.

78 In earum virginum cætu, quas cùm ceterarum virtutum cura sollicitas, tum autem castimoniæ tuendæ studia vigiles in paucis & attentas habebat, unam comperimus, præter ceteras eximiam, sic olim eminuisse, ut quamquam tredecennis, omnium ætati concederet, animi tamen ornamentis & cultu una alias omnes longè anteiret. Quo quidem in studio, gnara nec præstare aliis, neque perstare diu se posse, ni majoris tutelæ præsidiis inniteretur, cæpit ad Virginem virginum omnium præsidem patronamque spectare, atque ut hanc sibi, ejusque divinissimam prolem, arctiùs devinciret, impensè modis pluribus laborare. Ubi sanè puella, quocunque se aliò convertisset, nusquam terrarum neque sapientius consilium, nec præsentius erat auxilium repertura: siquidem brevi pòst compertum fuit, plus opis eam his officiis impetrâsse, quàm ejus ipsi verecundia permiserat principiò postulare. Quid enim & priùs modestè petierit, & deinde spe majus obtinuerit, utrumque, ni piget, otiosè comparemus.

79 Longo jam tempore non obscurè puella senserat, cælesti patrocinio se, animique sui & corporis integritatem egregiè

defendi; usque adeò, ut earum rerum amores, quibus venire in discrimen pudor Virginis posset, ultrò omnes facesserent. Ea propter institit cum animo suo reputare, ecquid aliud usquam exstaret, dignum, cui tutò addicere suum amorem, etiam virgines, possent. Neque hæsit ambigua diu. Nam simul atque mentis oculos ad Virginem Dei parentem advertit, commodum in ejus gremio sinuque residentē, (ô quali & quàm venustâ specie?) Christum etiamdum infantem, & à cunis adhuc recentem, & radiis mille relucentem, conspicatur. Quo vix etiamdum conspecto, cùm ter quaterque exsiliens plausum ingeminasset, & verò teneri jam, quod unum unicumq; amanti conveniret, exclamasset; non destitit, à pulchræ dilectionis pulcherrimâ parente, cùm precibus crebris, tum urgentibus lacrimis expetere, ut prolem divinam, quæ diligi etiam à virginibus castissimè posset, venerandam sibi amandamque præ ceteris præberet. Potuissent aliæ fortassis alia rogare, &, quæ multarum stultitia est, sibi vel patritiam dotem, vel oris formæq; gratiam, vel mundum certè muliebrem, humili & pudendo voto deposcere. Verùm ista, non nesciens, quantum inane sibi

quæreret,

quærereт,ſi ad viles has indecoreſque merces curam demiſiſſet, elegit unum Chriſti amorem, poſthabitis Regum cimeliis, efflagitare; quo vel ſolo ſi felix potiretur, nullius voti veniam de cetero videbatur precatura.

80 Qvis hominum ingenuorũ uſquam eſt, [illegible] hæc hujus puellæ ſapientiſſima poſtulata non [illegible]rum ipſe miretur, ut etiam laudibus apud alio[illegible] [illegible]llenda continuò putet? Immortales autem, [illegible] benigniùs de iiſdem precibus arbitrabimur cenſuiſſe? Ego profectò,utut alii ſenſerint, certum habeo, adeò duram atque inexorabilem huic tredecenni virgini virginum Reginam non fuiſſe, ut quod illa nobis, etiam abnuentibus, ultrò liberaliterque obtrudit, id ei tam piè religioſeque flagitanti fuerit negatura. Quo enim pacto negaſſet? Ultra imò quàm quod petere ipſa erubuerat, libentiſſimè conceſſit, dedit, donavit. Rurſus hìc importuni, quid dederit donaritque exſpectatis? Quid imò non ei dederit donaritque, interrogate. Nam ea,quę ſolùm Virgineæ ſobolis amorem impertiri ſibi cupierat, non id modò eſt conſecuta, ut, quod adhuc ſemper fecerat,Chriſtum Dominum Deumq; ſuum

tenerrimè diligeret; sed ut eundem, quod nunquam adhuc licuerat, oculis quoque subjectum, in sua sibi brachia deponi, totumque à matre prodigâ donari conspiceret. O donum Virginis illustre! unumque omnibus & unicè expetendum! Quis tredecennem, pæneque infantem puellam, in rebus non modò amandis, sed eti[illegible] delectum? tandis, hunc habere [illegible]quicquid conditum est, Eunt alii, & [illegible]interque omnia, quas terræ quisquilias, qualesque fæces, miseri, reperiunt? & repertas tamen pejori delectu, cæcorum instar, arripiunt diliguntque? Hæc interim una quid universis prudenter contemni, quid optari sapienter feliciterque amari posset, exemplo monstravit.

81 ATQVE utinam hîc illa referre nobis & posset & vellet, quid ab eo Christi conspectu felicitatis suavitatisque ad se dimanarit, quid animus gaudii persenserit, quid ultrò citroque colloquii fuerit. Nisi enim omnes me calculi fallunt, aliquis etiam ad nos indidē sensus redundaret. Quamquam dabis hanc illi veniam, ut magnitudine consolationis occupata, vacare nobis, remque gestam narrare per se ipsa non possit: poterit certè (jamque adeò potuit, narravit-

narravitque) alius. Is *Ioannes* est, cognomento *Major*, vir in veterum monimentis probè versatus, & historiæ gnarus. Eum, si pro virgine hac ipsâ hodie loquentem auscultare non tædet, (quem autem rei tam sanctæ, nec auditu injucundæ, tæderet?) efficiam, uti rem omnem, velut in acta relatam, ex bonæ fidei tabulis breviter perspicueque cognoscamus.

82 Etenim, ubi nactam sese puella tam optatum cæli spolium vidit, sibique cum virgineo Infante agendi familiariter & colloquendi copiam esse; nihil prætermittendum, ac ne differendum quidem censuit, quòd ad aucupandos majoris gratiæ favores, dici fierique conveniebat. Quo in studio, ut cetera fuerit indiserta, facundam faciebat amor. Neque abnuit divinus Puer, cùm ad pias ejus interrogationes quædam respondere, tum verò novis identidem interrogationibus, animi ejus sensa explorare. Quid enim, si te perconter hic, inquit, méne tu, Deum Dominumque tuum, planè vereque diligas; quid mihi ex animi tui sententiâ es responsura? Non segnis illa; Quid aliud, inquit, ego sim responsura, quàm ut prolixissimè annuam, vereque diligere, & porrò dile-

cturam esse, vel jurata confirmẽ? Responsum præclarè, & ad rem, quâ de quæritur, aptè prorsus ac congruenter! Sed quid ni autem, in tam beatâ quæstione, tu puella annueres? Ambularet per omnem cæli regiam hæc quæsitio, audires ubique tu nunc mentium purissimarum liquidas voces, nunc Virginum æmulantium cantus, nunc Cælitum omnium consonos clamores, sese propalàm æstimare, diligere, amare, profitentium. Fac, per terras etiam nostras hanc à Puero suavissimo quęstionem haberi: dabit & terra hæc nostra, qui annuant; dabit, qui diligere se, quiq; amare Pueri hujus venerabile Numen vociferentur. Et magnum interim tu, ac nescio quid novum, præstare te credebas, cùm idem istud interroganti responderes? Erubuisset oratio seipsam, quâ aliud aliquid respondisses.

83 ITA profectò est: non fallimur, ita est. Nam neque ipse etiam, in responso tam parco, Puerulus conquievit: sed ab eâ Virgine, quæ una præstare ceteris volebat, liberale quiddam planèque eximium exspectârat. Quare altero congressu, quo luculentum veri amoris periculum faceret, hanc iniit viam; ut non dubitare se quidem

quidem diceret, quin Deus pro eo, ac ipsa respondisset, diligeretur : in eo tamen ambigi adhuc posse, quanto opere, quamque impensè supra res alias diligeretur. Hìc tu, puella, quid iterùm dicas, etiam atque etiam, si sapis, attende. Agitur rei magnæ comparatio. Veniunt in litem hanc, aurum & gemmæ, veniunt parentes, & cognati sanguinis umbræ: veniunt honorum voluptatúmque illecebræ, veniunt vitæ corporisque curæ. His omnibus conferas tu, præferásne, hoc Pueri Numen, exspectamus. Multas olim, nec tui dissimiles, scimus, cùm hæc pugnanda pugna proponeretur, metu percussas, constantiā mutasse; dum ab Dei amore alias divitiæ divulsere, alias favor transversas, alias calamitas egere; nonnullis demum vanissimæ spes, ac somnia divortium persuasere. Tu, talium exemplis territa, quid respondebis? Videor hìc mihi audire exclamantem : Quid miseram hac lite cruciatis? Probrum hoc Virginis est, interrogari : quantò turpius, etiam *dubitari*? Tanquam aut ita cæca sim ego & demens, ut apinas ego tricasque cum Deo? aut ita stolidè improba, ut etiam præ Deo? Tollite convitiū, molesti,

Monstrataſq; Midæ Crœſiq; recondite gazas:

 Omnis

Omnis in hoc puero condita gaza mihi est.
Et viles, quater ampliusque viles
Isto præ Puero valete gemmæ:
Tuque ô tu genitor, meique quotquot
Vsquam sanguinis estis, & fuistis,
Vni cedite: plus amamus unum
Vobis omnibus omnibusque JESUM.
Teq; ô blanda nimis, teq; ô quæcunq; voluptas,
Charior est omni te meus iste Puer.
Charior iste meo Puer est mihi corpore, & ipsis
Mi Puer est oculis charior iste meis.

84 DIXIT hoc illa, seque omni examine defunctam rata, non dubitavit, quin Christo ad alteram ejus quæstionem satis jam superque fecisset. Ceterùm, ut hoc tibi tu persuaseris, Puella; mihi profectò nondum, ne sic quidē, persuasisti. Itáne enim, præparca? nihil uspiam tu pretiosius reperiebas, quicum præstantiam amati Numinis comparares, quàm caduci corporis vitæque tuæ mortalitatem? Multi sua quondam corpora oculosque parvo vendiderunt, multi ultrò projecerunt, multi nunquam ne adamarunt quidem; & rursus magnum tu tibi amorē professa videbere, si præ corpore tuo oculisque, cæleste Numen diligere te profiteare?

85 SIC ego fortassis perorassem, si litis

captus arbiter fuissem. At Puella, quasi jam arbitrum interpellantem audisset, ad novam, ecce, deliberationem animum inducit; & secum ipsa, ecquid oculis etiam suis pretiosius possideat, anxiè requirit. Reperitque sagax in corpore suo, quod & oculis præferre haud dubiè posset. Inde lætior, εὕρηκα profectò, εὕρηκα, quod diu quæsitum ieram, habetur, exclamat:

Quæsitū est oculis aliquid mihi charius ipsis.
Charius est oculis cor mihi, corde Puer.

Nam quid charius homo pensiusque sibi de se toto reservet, quàm cor suum? Hoc tamen ipsum, quantulum id cunque est, ego tuis amoribus postpono. Et, ô aliquid mei, vel corde adhuc ipso propinquius mihi conjunctiusque restet! illud omne quantis intervallis ego post te relinquam? Sic illa. Et quis nostrûm, Puerulo cælesti vel hîc tandem satis esse factum negaret? Negavit ipse: & quò majus adhuc amoris indicium eliciat, tertiùm instat percontari. Nam, Ut multum, inquit, judicio tuo tu dixeris, cùm Deum plus oculis tuis, plusq; ipso corde diligere te dictitasti; nondum tu tamen, quantò plus istis etiam ipsis illum diligas, ostendis. Etenim si non modò æquè, sed paullulo quoque amplius diligeres,

Omnis in hoc puero condita gaza mihi est.
Et viles, quater ampliusque viles
Isto præ Puero valete gemmæ:
Tuque ô tu genitor, meique quotquot
Usquam sanguinis estis, & fuistis,
Uni cedite: plus amamus unum
Vobis omnibus omnibusque JESUM.
Teque, ô blanda nimis, teque, ô quæcunque voluptas,
Charior est omni te meus iste Puer.
Charior iste meo Puer est mihi corpore, & ipsis
Mi Puer est oculis charior iste meis.

84 DIXIT hoc illa, seque omni examine defunctam rata, non dubitavit, quin Christo ad alteram ejus quæstionem satis jam superque fecisset. Ceterùm, ut hoc tibi tu persuaseris, Puella; mihi profectò nondum, ne sic quidẽ, persuasisti. Itáne enim, præparca? nihil uspiam tu pretiosius reperiebas, quicum præstantiam amati Numinis comparares, quàm caduci corporis vitæque tuæ mortalitatem? Multi sua quondam corpora oculosque parvo vendiderunt, multi ultrò projecerunt, multi nunquam ne adamarunt quidem; & rursus magnum tu tibi amorẽ professa videbere, si præ corpore tuo oculisque, cæleste Numen diligere te profiteare?

85 SIC ego fortassis perorassem, si litis

captus

tus arbiter fuissem. At Puella, quasi arbitrum interpellantem audisset, ad vam, ecce, deliberationem animum init; & secum ipsa, ecquid oculis etiam pretiosius possideat, anxiè requirit. peritque sagax in corpore suo, quod & ulis præferre haud dubiè posset. Inde ior, εὕρηκα profectò, εὕρηκα, quod diu æsitum ieram, habetur, exclamat:

Quæsitū est oculis aliquid mihi charius ipsis.
Charius est oculis cor mihi, corde Puer.

m quid charius homo pensiusque sibi se toto reservet, quàm cor suum? Hoc nen ipsum, quantulum id cunque est, tuis amoribus postpono. Et, ô aliquid i, vel corde adhuc ipso propinquius hi conjunctiusque restet! illud omne antis intervallis ego post te relinquam? illa. Et quis nostrûm, Puerulo cælesti hic tandem satis esse factum negaret? gavit ipse: & quò majus adhuc amoris licium eliciat, tertiùm instat percontari. m, Ut multum, inquit, judicio tuo tu teris, cùm Deum plus oculis tuis, plusq; o corde diligere te dictitasti; nondum tamen, quantò plus istis etiam ipsis ilm diligas, ostendis. Etenim si non modò uè, sed paullulo quoque amplius dili-

geres, quantuli demum amoris ea mensura foret? Indicanda sunt excessûs intervalla: quæ nisi totis non dicam plethris jugerisque, sed parasangis etiam dimetiaris, iisque quàm longè hîc Dei amor amori cordis antistet, ostenderis, parum amasti.

86 HÆSIT hîc perturbatâ difficili quæstione virgo: & cùm certi, quod pro se diceret, nihil invenisset, ad capiendum cordis sui testimonium provocavit. Habent suas, inquit, etiam corda linguas: habent, cùm necesse est, & voces, sed tibi, & tibi soli, intelligendas: aliquid & scribere fortasse norunt, ut quicquid verbis eloqui nequeunt, litteris characteribusque significent. Age sis ergo tu, priorque cor ipsum, ut pro testimonio in hanc rem dicat, interroga. Tu verò cor meum, si quid potes, caussam perora, meque obmutescente, disertè, quantis intervallis te ego post divinos amores meos reponam, effare. Egit hoc illa, dixitque; sed longè ardentiùs potentiùsque, quàm referre vobis hæc mea possit narratio. Et tamen audite, quid extemplò, cùm hæc vix dum finiisset, acciderit: audite rem oppidò novam! agnoscite litteras, verba, vocem, quâ loqui de cælesti amore etiam corda didicerunt. Nam

confestim,

confestim, ut hæc dicere Puella desiit, ecce miraculum! Languescere continuò vires, mutari vultus, deficere sensus, humique defluere corpus, & medio in corpore, COR innocentissimæ virginis, ingenti miraculo diruptum, cœpit pro pulcherrimo castissimoque amore, gravissimum testimonium dicere.

87 NON potuit Virginem mors tam properata opprimere, quin alios in tempore adverteret, qui conspicati lapsantem, animamque inter gaudia exhalantem, certatim accurrunt, & obsequiis, quibus æquum est, insperatum cadaver attollunt. atent rei mirificæ signa: odor ambrosius, color in mortuâ, quem magno sibi merri etiam vivi cupiissent: denique habitus rporis talis, ut nescio quid immortale am in morte assimularet. Quæ omnia amquã per se ipsa non ignobilis caussæ, e mortem accersiisset, indicium prodet; evicit tamen multorum justa curios, ut latentes abditasque origines, quà et, oculis indagarent. Eam ob rem, es, (inquit Historicus) viri religione tres, & S. Dominici sequaces, sollerter gilant, ut, quicquid caussæ fuerit, veeruatur. Ita dato mox negotio, præ-

cordia Virginis ferro tenui modestè honesteque recluduntur, & quid intus repētè turbaverit, inquiritur. O rem, iterato miraculo, sed ab omni memoriâ inaudito, stupendam! Inveniunt COR nullâ acie ferri, nec morbi contagio violatum, sed amoris impotentiâ violentiâque ruptum, crepuisse, & bipartitò diffissum, hiatu memorabili fatiscere. Spectatorum hic alii, ut in re subitâ, exclamare; aliqui attoniti, pænè diffugere, nisi mox tertium illos prodigium retraxisset: tertium, inquam; sed per fidem vos vestram, cognoscite paulisper, quale. In ipso dirupti cordis meditullio, litteris aureis, inscriptum dicam an cælatum? Dicam utrumque: inscriptum cælatumque litteris aureis inveniunt hoc Epigramma: *Sic diligo mi* JESV *te, ut diligam plus te quàm me.*

88 O nobilem Epigrammatis aurei poëtriam! ô & ingenium subtile, quo lucubratum, & manum elegantem, quâ exaratum est tam illustre carmen! Erubescite vos Nasones, vestrosque abesse Pyramos ac Biblides jubete: tuq; alter passeres tuos, tuque tuas Cynthias expunge; &, si qui alii Delias quondam Lesbiasque scripsistis, habete pudorem aliquando, & præteritos furores

furores ſpongiâ caſtigate. Vos verò Adoleſcentes, hoc veſtri carminis argumentum ſumite, meroſque (non pugnamus) amores ſcribite; ſed ſcribite tales, quales in hoc Virginis libello expreſſos legitis; eoſque pari & pennâ & chartâ lucubrate; ſi in cæleſtis bibliothecæ forulis reponi, ſi in pretio ibi haberi, ſi lectitari à divino Puerulo veſtra olim poëmata deſideratis.

VII.

CHRISTVS Puerulus ab Agnâ Politianâ deſpoliatus.

Ex Philippo Ferrario de SS. Italiæ, & P. Stephonio de Agnâ.

9 REM annis abhinc ferè trecentis, in terrâ Italiâ celebrem, gravibuſque ſtimoniis, uti geſta eſt, exploratam, afro: quæ, quandò ad excitandos rerum ternarum amores, animique non inanes licias comparandas; quodque caput eſt, majores Chriſti glorias haud dubiè va-it; eſtque cùm à ludicro cæleſti ſanè tiva, tum eventu memorabili admiran-; tam ego non committam, quin breſimè, quà licet, ordiar narrare.

90 MONS in provinciâ Hetruriâ eſt, Politianus; Agnæ, de quâ dicemus, ſolum natale. Is locus, uti cetera jam olim non obſcurus, ita ab AGNA præſertim, hac virgine, recentibus eſt ornamentis mirificè illuſtratus. Erat ei puellæ, ſi generis ſplendorem cenſumque exceperis, ingenii rerumque aliarum abundè: at opes animi, virtuteſque ſuppetebant tantæ, ut eas crederemus non patriæ ſoli nobilitandæ, ſed vel toti Provinciæ locupletandæ ſuffectuтас. Vix fari dum ea per ætatem quiverat, jamque ſponſi nuptiis matureſcere, eoque magnis aſſiduè deſideriis ferri, quamquam infantula, incipiebat. Ubi tamen, cùm nuptias auditis, nolite, quæſo, profanos mortaleſque thalamos ſomniare, ſed nuptias Agni, felices illas beataſque cogitate, quibus Virginum pudicitia non ſanè delibatur, ſed fovetur caſtimonia & exornatur; nec iis lectuli geniales inſtrui, ſed vota mortalia faſtidiri, menteſque à gaudiis labentibus divertere, & voluptati bellum indicere, & veris æterniſque bonis inſiſtere docentur. His talibus Agni nuptiis, hiſque thalamis, AGNA ſe Politiana jam inde præparabat.

91 DE quo ipſo apparatu, ſi rurſum ego,

quis

quis qualiſque fuerit, interrogâro; rurſum ego neminem fore arbitrabor, cui in mentem hîc veniat, aut colli monilia, aut anulos armillaſq; manuum, aut crinium onera uniones ſuſpicari. Faceſſite ab hiſce nuptiis hæc procorum illicia. Potuerunt hoc olim lenocinio Thaides fortè Bacchideſque placere, & tot ſibi mendaciis perituros amores nundinari: noſtra hæc neque torquium mæandros circumdare, neque digitos gemmis accendere, neque ab auribus inſuevit baccas ſuſpendere, dotales Veneris appendices. Has enim formæ conciliatriculas, ne ipſa haberet, parentum felix inopia; & ne etiam habere cuperet, felicior ejus modeſtia; ac denique ne iis indigeret, ſponſi opulentia liberalitaſque faciebat. Cultus igitur ornatuſque non alius illi, quàm à virtutibus erat. Hac ſolâ ceruſſâ genas formamque inſtruxerat, hac purpurâ veſtem ſibi mundumque muliebrem compararat; gnara, ad ſponſi amores adſpirare ſe meliori artificio non poſſe, quàm ſi ſuus innocentiæ vigor nitorque ſervaretur. O factum puellæ ſuprà quàm ætas poſtularet, maturũ ac ſapiens! Fuit enim id ejus inſtitutum non rationi magis religionique conſentaneum, quàm

exitu

exitu læto successuque comprobatum. Atque ut intelligatis, quænam his inceptis eventa responderint, auscultate.

92 POST quàm hac Virginis indole, hisque tot ejus studiis Christus non potuit non vehementer delectari, cœpit paullatim etiam ipse ad consuetudinem, propè familiarem, descendere; tantisque argumentis mutuum amorem prodere, quantis optare clariora, neque mortales à Superis auderent; nec polliceri mortalibus Superi possent. Nam istud, quæso vos, cujus amoris indicium dicetis fuisse, quando suam ipse matrem Virginem, cum pulcherrimo, quó licuit, comitatu, ad AGNAM jussit invisere? eique, ceu felicem pronubam auspicatos filii sui Hymenæos gratulari? Vidissemus ad hunc ejus comitatum, omnem cæli regiam exciri; &, astris ancillantibus, hinc Lunam infra pedes subire, inde Solem caput ambire: hic virginum choros stipare latera; hic aligeros ephebos legere vestigia, dum ad clientem puellam gratulatura Mater descendebat, ut sponsi propediem adfuturi sive spem ei faceret, seu certè desideriū leniret. Et leniri profectò, quamvis ingens desiderium, ex hoc prænuntiæ Virginis aspectu debuisset, poteratque

ratúque moræ cujusvis tædium hæc oculis objecta venustas superare. Nam nos, opinor, si quâ guttulâ roris istius mellei perspergeremur, omnes continuò fieri immortales à liquore tam ambrosio videremur. AGNÆ hujus pertinacissimã sitim, sive fas est appellare infinitam cupiditatem, non modò temperare hic Virginis adventus conspectusque nequiit, verùm auxit etiam, & acriùs inflammavit.

93 JAM ex adverso puellæ, sed vicina restiterat, vultu habituque tam divino, ut luce verendâ mortalis acies suavissimè retunderetur, utque ne AGNA quidem jam posset, quin cunctam cæli venustatem in oris unius lineamenta consensisse judicaret. Postquam verò sagacibus oculis brachia sinumque Virginis perlustrare, & vacuas videre ulnas contigit, ita ut nusquam in materno complexu filius, sed orbatum cognato pondere gremium appareret: enimverò tum vocem non tenere impatiens amor, sed in querelas & lamenta palàm erumpere, inque rei formosissimæ spectaculo divinius adhuc aliquid formosiusque desiderare. Desiderare autem? imò signis haud dubiis, ac pænè etiam verbis, præquam liberè audacterque flagitare.

Itáne

Itáne verò, Puella? Tu formam hanc talem, delicatula, fastidire? tu serenissimi oris immortalem elegantiam rejicere, & quam inquilini Cælites unam omnes intueri mirarique non desistunt, eam tu oculis mortalibus imparem censere? Circumspice te prius, & quantam ignara fortunam repudies, perpende. Invitat augusta Virginis species, nec advertis? ultrò sese adspectui tuo subjicit, neque tu avertis? & quousque tandem jussa suspicere non obedis? Non impero mihi, Puella, quin accusem. Tu crimen hoc tuum ut purges, aut alibi quære patronum, aut hîc per te ipsa, si confidis, cælo judice perora.

94 QVID enim, si Virginem nunc audias ipsam (quæ quidem adhuc modestissimè tacuit) sic tecum expostulantem? Ego te, AGNA, mortalem adhuc & imparem, immortalis diligere; ego cæli terræque Domina, in clientelam te meam suscipere; ego meæ te familiæ adscribere, ac demum (quod quantis aliorũ desideriis negatur?) intervisere ad te dignata; hoc amoris meritique mei præmium abs te reporto, ut à conspectu, veluti contempta, jubear facessere? ut plebejum in modum repudiata dimittar? ut fastidita propemodum repellar?

Equidem

Equidem si clientis ope operâque egerem, nondum à Cælestibus ita sum deserta, ut emendicanda mihi homuncionis obsequia crederem. Sunt Gabrieles adhuc, ad meos mihi nutus intenti: sunt aligeræ purissimarum mentium legiones, meis imperiis assuetæ: exspectant Catharinæ, adsunt Cæciliæ, circumstant Agathæ; ac ne tuum te nomen efferat, præstolantur aliæ jam nunc Agnæ; & mille Virginum unum hoc votum est, mihi semper adstare, nusquam à latere meo, nusquam ab ore nutuque discedere. In hac ego tam amplâ familiâ, quam hominis aut operam Domina, aut obsequium Regina, aut honorem amoremque Mater desiderarem, ut huc me demittere necessarium foret? Demisi me tamen, & animi sponte (quod multis ne rogata quidem soleo) tibi conspicua fio, te ad congressum admitto, in colloquium invito, prope etiam in comitatũ adscisco. Et his tot meritis meis delusa, quid modò profeci? Nempe, ut quæ omnium desideriis credebar sufficere, puellæ unius fastidiis dicar non suffecisse.

95 Hæc, & his graviora, si conqueri Virgo instituat, tu quid dices? quid consilii, ad purgandã injuriam hanc, tibi capies?

quo

quo patrocinio caussam afflictam defendes? Interim hæc ipsa dum pluribus hic disputo, & mecum, ecquid caussatura sit AGNA, exspecto; audire Puellam ultrò nunc videor, cetera non valde verbosam, hac unâ in causâ orandâ, supra sexum disertam & eloquentem. Reperit enim acuta, quod non modò in Virginis aspectu requireret, sed in ejus etiam oratione refutaret. Nam, Gestiant, inquit, optentque cæli Proceres hos tuos venustissimos vultus intueri; pendeant ab oculis Gabrieles, sociæque mentes; insuper & Magdalenæ cum cæli gynæceo inhient, tuque omnibus formosior in parthenone tuo triumphes: non abnuo, multis me caussamque meam testibus oppugnas. Ego tamen, cùm ab his tot tantisque dissentio, & in hoc formæ tuæ nitore (da veniam Virginum pulcherrima) requiri adhuc aliquid affirmo, majoribus exemplis & testimoniis me tuebor.

96 ETENIM, si adeò te ego non contemno, ut in hac ipsâ lite tuum unius arbitrium, cunctis aliorum judiciis longissimè anteponam; quid erit, in quo factum meum consiliumque reprehendas? Certè autem, quid tui de temetipsâ judicii sit, adeò

adeò nunquam tu diſſimulaſti, ut illud cognoſci facilè deprehendiq́ue non ſolùm ab aliis potuerit, ſed à me quoque proferri palàm objiciq́ue nunc poſſit. Nam cujus tu unquam artificis voluiſti aut penicillo pictam imaginem tuam, aut cælo elaboratam ſtatuam, probare; in quâ ſteriles tibi ulnas, orboſq́ue ſinus, & otioſas à filii complexu manus reliquiſſet? Quod uſpiam ſigillum tibi, tametſi gemma fabertimè cælatum, & vel Lyſippi ingenio, vel Mentoris artificio clarum, non eviluit confeſtim, ac prope (ſi fas eſt dicere) ſorduit, ſimul atque inſidente hac filii tui ſarcinâ caruiſſet? Et pridem hæc tua vel excepta mihi vox eſt, vel credita non abſurdè, acceptaq́ue pro tuâ, quâ clamitaras,

Abſque meo quicunque voles me pingere nato,
Me ſine me potiùs pinge, dolebo minùs.

Patere jam vocis hujus vel ſenſum conjectare nos, vel cauſſam certè ſuſpicor. Fallor enim, aut nunquam poteras ne tu quidem ſatis placere tibi, niſi in gremio filiū circumferre te videres. Ignoſce proin, Virgo; trahimur exemplo, & Dominam clientes imitamur. Si crimen eſt, in pulcherrimâ parente pulchriorem filium, id eſt, inter Virginis brachia Deum infantu-

lum

lum desiderasse; accusa, ut, ut voles, confitentem, sed imitantem absolve.

97 PERORAVERAT Puella, & Virgo jam placatior, ut accipere se argutam excusationẽ ostenderet, cœpit renidenti vultu blandùm annuere: &, testandæ munificentiæ suæ, tres è sinu gemmantes uniones, quos AGNÆ dono memorabili impertiret, expromere. Isti verò ut primùm è sublimi reluxerunt, potuit illicò & adamantis candor erubescere, & smaragdi viror perire, & totus pyropi fulgor exstingui; cùm se viderent omnium gemmarum pretia à tribus unionibus triumphari. Saltem hìc jam vultus erige tuos Puella; protende sis manus, explica confestim sinus: quid languida cunctaris? accipe, inquam, & conde gratuitum donum. Nemo Regum olim tam satur fuit, quem accipere has opes piguisset. Tu sola nec gemmas æstimas imprudens, & uniones pertinax recusas? Imò enim accipio libenter hos, inquit, & verò multimodis omnes exosculor. Nam hujus

Qualiacunq; manu dentur mihi Virginis, illa
Vilia sint quamvis, mihi erunt tamen omnia gemmæ.

Interim, ne quid veri dissimulem, est, quod etiam in hoc tam liberali munere, avara,

mihi requiram. Sentiunt oculi, dolentque, unam adhuc in tot unionibus abesse gemmam: sed gemmam, ô & unionibus istis, ô & pluribus aliis, & omnibus denique omnibusque gemmis chariorem! Neque exspecto hîc porrò, dum sciscitere, Mater, ecquam mihi gemmulam adhuc requirã: occupo quæstionem, clareque, tuum in ulnis tuis infantem ajo requirere. Quidni enim illum? Ibi meri pyropi in oculis, ibi adamantes in genis, ibi chrysolithi in capillis: quid multa? ibi omnia mihi, & omnia gemmæ. Hanc unam mihi munifica gemmam trade, atque has alias alteri, cui placebunt, omnes elargire: aut unam hanc mihi si negare perseveras, ignosce fastidienti, abdico & istas.

98 NONDVMNE, (vestram fidem!) nondum hîc obstupescitis, cùm hunc hujus tantum amorem, tot documentis compertum, & adversus omnes Virginis molitiones invictum videtis? Ego profectò, ut de me confitear, immutatus, transeo in partes: & cujus AGNÆ pertinaciam adversarius incusâram, ejus constantiam patronus admirari porrò, tueri laudareque insistam. Quanquam, quid etiam egeat hoc defensore, non video, cùm ipsam ei Virginem

 ultrò

ultrò reconciliatam,& repulsæ prioris oblitam, patrocinari jam,ſusceptâque causâ favere, manifeſtò deprehendam. Favit omnino: idque quàm liberaliter ac prolixè, ex eo licet intelligatis, quòd, cùm repudiata paulisper divertisset, haud multò pòſt ad eandem inſtructior comitatiorque rediit, geſtato in ulnis, monſtratoque, ut AGNA desiderârat, Infante filio:& alterum formæ suæ periculum factura, ecquid vel ita jam placeret; an aliquid puella faſtidiens etiam nunc in se requireret, exſpectavit.

99 AGNA, conspecto maternis in brachiis Infante, excitata, confeſtim occurrere, & genibus advoluta, modò Virginem blandè, modò Virginis prolem, modò utramque supplex ambire: multa jam huic jam illi promittere, omnia movere, nihil non agere, ut ad osculum pedibus libandum, ut ad colloquium ferendum, ut ad oculos præsertim intuendos (nam horum immodicâ luce verberabatur) admitteretur. Nec abnuit fortuna. Quid enim ultrà posset tam importunæ violentæq; clienti aut mitiſſima Parens, aut suaviſſimus Infans, denegare? Admittitur AGNA. Quæ votis omnibus damnata, cùm licere sibi

tam

n grandia videret, quid omnium pri-
im, quid secundum tertiumque elige-
, ambigebat; propè ut inopem se fieri
â copiâ quereretur. Nam ubi oculos ad
s divinissimi venustatem adverterat, ge-
sque ebori Libyco, malasque marmori
rio certantes, & labella minio purpura-
& crines auro radiantes viderat; puella,
pectu rei formosissimæ capta, omnium
cerarum immemor, tota esse oculus de-
erabat. Tum ut manus deinde licuit
orare, ut pedibus osculum imprimere,
primoribus labris plantas contingere;
c rursus omnes corporis partes unum
ique labellum fieri gestiebant. Certè au-
m, ubi cum Puerulo sermones illa con-
rre, ubi imò Puer ipse blādissimè respon-
re, & mellitis cœpit vocibus in aures in-
iere; credam equidem, membra iterùm
mnia modò in linguas converti, modò in
ires mutari æmulâ contentione voluisse.
uid dicemus, si etiam sinu excipere, si in
nas sustollere, si manibus, brachiis, com-
lexu involvere hanc Numinis infantiam
ontigisset; quid omnia iterùm membra,
icemus, aliud quàm sinus, ulnas, manus,
achia esse cupiisse?

100 O æmulationem verè amicam &

ſuavem! In quâ utinam & nos, ſi nondum oculos ſinuſque noſtros (quibus in hæc comitia ſeſe ingerere negatur) ſaltem animos eſſe competitores ſineremus! Nam permittite, quod ſæpè jam feci, etiam hîc intempeſtivè conqueri) quouſque nos inter AGNÆ hujus ſtudia torpeſcere ſegnes, & ſtertere perſeveramus? Quàm lentè ad hæc ſpectacula non dicam intuenda, ſed eminus ſaltem cogitanda adrepimus? neque ut hæc aliorum gaudia pauxillùm deguſtemus, aut in partem conſolationis aliquam adſciſcamur, laboramus? An ergo nos, qui æquè Virginis noſtræ clientuli ſumus, nullum nobis jus aditumque ad hanc ejus Prolem vindicamus? Matrem imò jam ipſam plerique ſibi devinctam habemus; ejuſdem familiæ adſcripti, inque nomen ejus jurati pridem vivimus: cur alienos adhuc à filio extraneoſq; eſſe nos, malo pravoque judicio, reputamus? Niſi fortaſſe, quò pervadere ſtudium puellæ potuit, adoleſcentium conatus ne adſpirare quidem audebit. O iterùm ergo nos, non jam ridendos, ſed multò juſtiſſimè deplorandos, qui ſexu tam debili victi proſtratique deſperamus.

101 VERVM intereà ut in viam revertamur,

mur, videte, quid adhuc majus hæc sive audacia puellæ, sive impotentia, in Deum infantem sibi sumpserit. Pendebat à niveâ Pueri cervice, & ad umbilicum defluebat gemmeum admirandi operis pretiique monile, in Crucis effigiem faberrimè cælatum. Id AGNÆ constantiam, quâ dudum uniones opesque spreverat, omnem momento temporis labefecit, ut mutatâ sententiâ cœperit primùm oculos adjicere, deinde animum advertere, mox pretium artemque mirari, tum prorsus appetere, & manus adeò quâ parte clàm injiceret, cogitare; ac postremo (quid enim verum dixisse reformidem?) pensilem ornatum, crucemque gemmeam, rupto catellæ vinculo, de Puerulì collo surripere; & verbo denique unò furtum in oculis divinæ Parentis manifestum consciscere. Facinus, à puellâ novum, & nescio an post homines natos alibi factitatum! Quò te iterum hîc, AGNA, præcipitas? Huccine rerum audacula progrederis, ut etiam furti, furtique talis, alligare te non erubescas? nisi tu sola fortasse furtum hoc esse inficiaris, quod quisquis alius designasset, sacrilegium esse propemodum vociferaremur.

102 AT enim intelligo, quam facinoris

purgandi rationem afferas. In joco, inquis, ludoque id feci. Itáne, simplex, excusas? Quid ergo faceres seria, quæ jocãdo etiam ludendoque perpetrare furtum didicisti? At amor certè, ut hos mihi animos sumerem, audacem fecit! Accusas iterum, non defendis, puella. Nam ad quæ non audenda furor iraque impellerent, quando potuit ad sacrilegium amor movere? & hostibus, oro, quid irata relinqueres, quæ etiam sponsi tui spolia, hæc inquam monilia, impunè sublegenda tibi existimasti? Igitur aut culpam nobis ingeniosiùs purga, aut caussâ cecidisse te confitere. Quanquam si consilium non aspernaris, annitere paullillum adhuc; reperiemus fortasse colorem, quo pallentem hanc possis caussam animare. Dic enim audacula amantium fortunas partibus communes censeri: nega, scienti volentique irrogari injuriam posse: caussare, monile quid aliud fuisse quàm crucem. Atqui Crucem ab ejus cervicibus pendere posthac non debuisse, qui dudum illam in humeris suis bajularit, æquum videri, ut hoc onere sublevatus, aliis aliquando portandum id relinquat. Adde, non decuisse, ut recessurus Crucem cælo secum inferret: idque adeò ne fieret,
operam

operam hanc illi dedisse te ; & patrocinante manu cervicem ejus despoliasse. Horum tu, inquam, si aliquid ingeniosè, prætexeres, facti injuriam credulo Infanti fortassis excusares.

103 SED ista nos utique vani, nec valdè serii, certè autem seri, quid exprobramus ? AGNA interim pretioso monili potita, quàm id innoxiè religioseque surripuit, tam piè sanctèque furti crimen, furto hoc ipso, excusavit ; accusanda prorsus à nobis & increpanda, ni rapuisset. Mihi profectò, ô utinam par hodie aut facultas peccandi, aut voluntas suppeteret ! Non contentus ego sola Pueri hujus monilia sublegere, ipsum in Matris complexu Puerum invadere, ipsum abstrahere, eripere, deripere conarer ; nullo quondam sacrilegio magis impunito. Intereà loci tuo, AGNA, & exemplo, quod video ; & patrocinio, quod spero, defensus, votis saltem desideriisque optare non erubesco, quicquid reipsâ fecisse te, cum felicissimo successu, adverto.

VIII.

CHRISTUS Puerulus cum Cruce, & cruciatûs sui insignibus.

Ex Veteri nobilique Tabulâ.

104 QVI Servatoris, etiamdum infantis, ora habitusque penicillo figurarunt, operã in eo multam posuerunt, ut, quod de Timante proditur, earum imaginum color plus animis impressisse, quàm oculis subjicere crederetur. Specimen hujus alii aliud sibi sunt facilè reperturi; mihi nunc istud, quod hìc percenseo, jucundum in primis est observasse.

105 IN pinacothecam fortè, picturis insignem, bonæ mentis adolescens intraverat: in quâ cùm veluti meditans obambulasset, & modò supinus expictum lacunar suspiceret; modò parieti adversus, quædam præter cetera mirari se probareque ostenderet, in aliis quasi addubitans hæsitaret; opportunè factũ, ut eum Senex, homo non illiteratus & pius conspiceret. Is applicat lateri sese, & comiter, ecquid videatur, interrogat. Ille, Captus hac artis, inquit,

inquit, operiſque formâ, & vel maximè pictorum hìc æmulantium pugnâ otiosè me delecto; ubi tametſi nullos neque Zeuxidis ego nec Protogenis labores video (quid enim aliud iſti, quàm aureos imbres, & Ganimedes, adulteroſq; Joves, olim pinxere?) colores tamen hos, ſi quid intelligo, nullo neque Apelle nec Parrhaſio cenſeo indignos: eoque viſu jucundiores, quò longiùs à fabulis illis probriſque animandis receſſere. Nam, ecce, quo me cunque converto, verecundiam pictoris cum colore ſuo, & manum artemque cum naturâ hìc video decertantem. Et quantò proinde honeſtiùs his tabellis ſuus cuique artifex, quàm Coæ Veneri ſuus, inſcriberetur? Nunc plerique ignorantur hi noſtri, dum alii per operum ſuorum dedecora inclaruerunt.

106 At eos ego non omnes patiar, inquit Senex, ignorari: certè aliquos faxo, judicio meo tu noſcas. Inde tabulas alias ex aliis commonſtrat: &, ut quæque obviàm erant, cujus illa artificis ingenio viveret, quid ætatis illa famæque haberet, quantique fieret, oſtendit. Erant, quibus pretium penicillus *Vrbinas* fecerat: erant, quæ ſuo ſibi *Bonarotta* gloriarentur; doctâ

manu, & nulli veterum concessura: nonnullæ ad *Tyreros*, & *Titianos*; aliquæ ad *Rubenios*, clari nominis artisque pictores, aliæ ad alios sese, non pudenda origine, referebant. Sed iis insuper habitis, adolescens, In unâ, inquit, hac tabellâ (ut aliis suæ cuique laudes serventur) mirum est, quàm vel artificis ingenium, vel ipsum rei argumentum blandiatur. In ceteris, quas adhuc demonstrasti, fateor nec artem mihi nec inventionem displicere; verùm ad hanc tamen omnes illæ, cùm primùm respexerint, nescio quid erubescunt: ut adeò hæc sola, dum ceteras intuemur, etiam loqui nobiscum, clâreque audiri videatur. Et credam, ejus ego inventorem aliquid supra reliquum vulgus sapuisse; nec solâ manu & arte, sed animi præsertim affectu, usu in hoc opere fuisse. Nam vide sis, ut extrema hæc lineamenta ad vitæ similitudinē, non magis penicillo, quàm naturâ conformantur! & minimum est, quod ipsa quodam modo vivunt, etiam oculos sensusq; nostros animant, transfusâ, quam simulant, vitâ.

107 Ego tecum, inquit, hîc sentio, Senex: & ipse pluris hanc aliis jam tum feci, cùm coëmptam huc olim intuli; di-

gnam,

gnam, cujus auctor inter has alias proderetur. Neque cura defuit ut indagarem, sed omnia perquirentem, via destituit: nisi quòd hanc ejus qualemcumq; originem, ex hospite Belgâ, qui hujus inspiciundæ copiam rogarat, novissimè comperi. Eam ipsam tu, cum audies, scio, vehementer approbabis. Ego verò audiam, & lubens. Simul Senex, In Athenæo, inquit, principe Poëta nobilis versus tragicos, drama pium, & ad hos animorum motus peridoneum, lucubrarat. Argumentum ei erat Christus, qualem hîc vides, parvulus adhuc, ultimæque infantiæ propinquus. Hunc prodeuntem in scenam, alites ephebi ferè æquales, magno numero comitati, quid ille fieri ab unoquoque vellet, expectabant. Vestis erat, togula pura: quam ipsam ad latera, ne laxiùs efflueret, paupere cinctu funis adstringebat; reliquum togæ, etsi ad talos defluens, tamen extrema pedum nudabat. Ad hæc apertus capitis vertex, & effusa per humeros cæsaries: deinde frons, oculi, vultus, ac denique incessus, quales sibi & occulti Numinis majestas, & pueruli spectati modestia requirebant. Hic ergo talis, ubi sese in proscenio theatrali circumspexit, vocem (ut ego accepi) in-

hæc verba, aut horum similia, placidissimè resolvit.

108 QVOD magnis hominum querelis postulatum esse vos meministis, ut roraret cælum aliquando, ruptisque nubibus illum in terras imbrem effunderet, quem unum tot annorum sæculis omnes expectarant; id impetratum nunc esse concessumque mortalibus, clarissimè videtis. Valüere assiduæ preces, meque cælo deductum, hîc, ut morem volentibus gererem, opemque laborantibus ferrem, pertraxere. O quantis illi se sentient gaudiis cumulari! & quid eos illicò dicturos, simul ac venisse me audient, quid credam esse acturos? Scilicet alii super alios certatim occurrere, unumque omnes ad sese rapere, & hospiti desiderato loca lautiaque decernere, quanta nulli alteri dedêre, contendent. Nam quid aliud aut velle jam eos, aut etiam posse censetis, quos cælum avarissimi voti, veniente me, reos compotesque jam fecit? Nisi de hoc fortassis uno conqueri sibi posse videantur, quòd afferre tam lætum ipsis nuntium fama segnior adhuc moretur. Et certè, ne, si fama cunctari pergat, conqueri hoc illi meritò possint; ite, clientuli vos mei, & terras longè lateq;

omnes,

omnes, quantum poteſt, peragrate; deque adventu meo, ut omne genus homines certiores confeſtim fiant, nulli operæ laborique parcite. Præſtò jam eſſe me, eorumque cauſsâ velle quæ poſtulēt omnia, ſignificate. Tum deinde reduces, quid illi reſponderint, & quantis ubique lætitiis geſtierint, huc ad me fideliter referte.

109 Ad hæc ejus imperia, mirum dictu eſt, quàm faciles continuò promptique Cælites rem quiſque ſuam aggrediantur: fervent ſtudiis legatiſque viæ. Et vidiſſes illicò tu, hac Michaëles evolare, hac Gabrieles diſcurrere: illac alios alioſque certatim in diverſa, ut nuntium celerrimè perferrent, abire. Pudebat quemque, in obſequiis primum non eſſe. Pergit intereà loci divinus Puer, & ſolus in theatro, multa ſecum volutans, inambulat, horæq; momentum omne, quoad nuntii revertantur, horam putat; avidus, quantâ cum omnium gentium gratulatione excepti dimiſſique fuerint, audire. Legati porrò cùm hac illac profecti, mandata, quæ acceperant prolixè omnibus diſerteque expoſuiſſent; addidere de ſuo, quod cuique viſum, cumulandæ lætitiæ, gratiæque conciliandæ opportunum. Veniſſe de cælo

jam illum quem exoptarint; ſed veniſſe parvulum, & tenellum; eaque propter majori omnium amore favoreque dignũ: darent operam, ut venienti frequentes vel per ſe ipſi obviàm prodirent, vel abſenti munuſculum, quod hoſpite tali digniſſimum ducerent, perferendum pararent: ſumma eum omnia mereri: tali indole puerum eſſe, eaque morum ac verborum ſuavitate, ut dicta ejus æquè ac facta melle fluere omnia videantur. Maturarent proinde, & omnibus eum ſtudiis occuparent.

110 FINIERANT commodùm hæc illi, & porrò taciti, quid reſponderetur, expectabant. Sed triſte apud pleroſque ſilentium: & aliqui vix etiam quid nuntiaretur, intelligere; aliqui palàm abnuere, & nullum ſe hoſpitem invitaſſe dicere. Pauci alii, qui invitatum olim & expectatũ eſſe meminerant, admodùm frigidè, quis hoſpiti venienti habitus eſſet, quis eum auri purpuræque ſplendor ambiret, quot equi curruſque comitarentur, quantæ clientum vernarumq; cohortes ſtiparent, & alia his plura, ſciſcitabantur: nam talem ſe ſolùm, nec alium, deſideraſſe. At iſti continuò quod res erat, ingerere: Paternas ei divitias eſſe immenſas, quibus domi ſuæ lautiſſi-

lautissimis circumfluat: ibidem familiam alere tantam, ut Reges in eâ Principesque pro pedisequis numeret. Sed eum, dissimulato jam splendore, nihil opulentiæ hujus in præsens ostendere: quin etiam seminudum, nulloque ne servulo quidem sibi adjuncto, circumvenire: paratum tamen, amicos omnes, assis paterni cohæredes, dum ne detrectent, sibi adsciscere. Tantisper autem voluntario sese exilio multasse, ubi de omnibus bene mereri, eosque sibi associatos, paternis possit laribus unà secum inferre. Æquum videri, ut etiam ipsi facere paria contendant, & adversus hospitem gratos intereà humanosque se monstrent.

III JAM dudum haud æquis hæc animis accipiebantur; nec obscurè, quò evasura esset legatio, indicabant. Nempe, qui Regios sibi fastus, & ambitiosi comitatûs insignia finxerant, aliosque fortunæ tumentis asseclas expectarant, in schemate plebejo suum agnoscere hospitem erubuere. Quare aliqui, legatos nullo ne responso quidem dignati, longè refugere; alii tamē, collatis inter se capitibus, quid agerent, consultare: dum res eò denique recidit, ut dona se missuros aliqua dicerent, qui-

bus adventum inermi nudoque Puero gratularentur. Ergo operas, ut placuit, partiti, paucis pòst horis sua singuli munera, jam probè adornata parataque, proferunt, & ea legatis, ut intacta integraque ad Puerum deferantur, veluti res apprimè pretiosas, magnisque à se studiis conquisitas, verbis amplissimis commendant.

112 ENIMVERO cælestes ephebi, quanquam & barbaram gentis indolem, & muneris absurdi novitatem mirabantur; tamen imperii memores quæ traditæ cuique partes fuerant, eas, quâ decuit reverentiâ, susceptas, mæsti secum dolentesque asportant. Quid ni enim illi & suam ipsorum, & Pueri divinissimi conditionem, in re tam adversâ, miserarentur; cùm inde quidem, ab eo se legatos esse cogitarent, qui tot seculis expetitum se fuisse crediderat, ut, quanquam impensissimè properasset, serò tamen venire se autumaret; hinc verò ad belluas eum magis quàm homines pervenisse viderent; à quibus ipsi tam illiberalia, non munera solùm, sed responsa quoque retulissent? Quid nî, inquam, hæc illos rerum insolentia perturbaret? Ibant tamen, & verba secum ipsi, quibus res utcunque gestas exponerent, meditabantur.

113 Post igitur quàm illuc omnes, unde legati fuerant, sunt reversi, continuò in theatrum alii super alios effusi, & adoratam Numinis majestatem in Puerulo venerati, quid apud suos quisque effecerint, quamque comiter accepti auditique fuerint, & quid responsi, non pro eo ac res postulârat, abstulerint, ad amussim omnia renarrant; denique dona in medium prolata, quæ à diversis acceperant, deponunt; alius quidem proceram, & opere quadrato exasciatam, gravique pondere ac mole trabem, quam cives ajebat agnatosque hospiti suo præparasse, ut eâ Puer in lectulum pulvinumque, cùm olim meridiari luberet, abuteretur: nam molliores id loci grabatos sterni non solere, eaque propter insuescere his plumis culcitisque hospitem debere, si degere cum inquilinis locis decrevisset. In eo tamen strato ut honestius cubaret, tabulam ajebat supernè affixam esse, quæ regium ipsi titulum præferret. Denique ne difficilis in lectum ascensus foret, scalas itidem missas esse, per quas eòdem faciliùs eniteretur.

114 Commodum hæc iste renuntiârat, jamque alius cum coronâ se suâ tristis inferebat, non illâ tali, quam fulgentibus

auri

auri laminis gravem, gemmiſque & unionibus factam, Regum vertices amarent, quamque allaturum ipſe non immeritò ſperarat; ſed quam undique ſpinæ ſenteſque implexis aculeis horrendum in modum armârant, quam nemo ſine vulnere nec manu tractaret, nec pede calcaret; quid dicam, capiti impoſitam impreſſamque ſuſtineret? Hanc ille talem coronam, à propinquis amiciſque textam, multa ſubinde & gravia conqueſtus, oſtentabat. Nempe hoc illos diademate ſuum ſibi Regẽ hoſpitemque cenſere exornandum: ac ne quod regni ſurgentis inſigne deſideretur, formatũ è paluſtri calamo cannaque ſceptrum eidem offerre, quo manus olim, cùm in ſolio regali locaretur, armare decentiùs poſſet: aliud geſtamen, aliamque coronam Regi ſuo non polliceri. Uteretur iſtis interea, daretque operam, ut capiti ſuo diadema bellum arctè preſſeque inhæreret: quam ad rem, ſi adminiſtris egeret, promittere illos, officio ſe ſuo non defuturos.

115 JAM & iſte perorârat, cùm alius è veſtigio ſubit, qui modeſtè præfatus, lætiorem à ſuis rediturum ſe fuiſſe, ſi vacuus reverteretur; quædam haud læti ominis

ferra-

ferramenta exponit, forcipem aduncam, rudemque terebram; malleum deinde fabrilem, tresque insuper clavos, prægrandes illos, & vel trabalibus majores: cum iis, quid adeò sibi gens barbara voluerit, posse quidem, ait, non obscurè conjici, se tamen rem infandam tegere silentio malle, quàm verbis aperire. Secundùm hos, ut alii deinceps aliique prodiere, sub unum conspectum munera demum omnia venerunt. In iis & spongia quædam erat, mollis illa quidem, sed etiamdum sicca; quam Puero dicebant usui fore, cùm olim sitiret: tum enim felle modico, & rubentis aceti fæce (cujus heminam ei mitterent) imbui posse, labrisque admotam salubriter exsorberi. Atque id genus promulsidem si amaret, fore propediem qui totos illi congios miscerent: nullius poculenti apud eos uberiorem proventum esse. Erant ibidem torti nodosique funes & vincula, quibus velut armillis brachia, cingulisque latera stringerentur. Erant scuticæ, loraque crebris mucronibus aspera: erat oblongum hastile, idque & ferreo acumine sævum, & rimando pectori aptum, & omnia militari lanceæ gemellum. Quid multis? erat nihil neque hospite divinissimo dignum,

neque ab ingratâ feraque gentis indole abhorrens aut alienum.

116 IGITUR postquam hæc hujusmodi dona, cum paribus responsis, omnia exposuerunt, aliud expectandum sibi jam Cælites ephebi non putabant, quàm ut Infantem suavissimum viderent, obortis continuò lacrimis ingratos hominum animos, immanemque & plus quàm barbaram hospitalitatem, accusantem. Jam utique perditam sibi, maleque locatam apud improbos operam esse, quâ cælum terris postponere, & præ immortalibus deliciis, mortalium amores habere; aulamque paternam cum exilio mutare, plus nimio properârit. Irent proinde omnes, & quas mali ominis merces undique attulerint, postliminiò ad suos quamque dominos, additis minis, reportarent. Videri ea, non munera sibi ut hospiti, sed mera ludibria ut infensissimo hosti, transmissa. Vindicaturum has propediem injurias cælum, gravesque ab ingratis clientibus pænas sumpturum. Hanc ejus lamentationem audituros illi se non immeritò, cogitabant; sed nihil tamen pro eo, ac rei indignitas postulaverat, auditum.

117 ETENIM erant Puerulo, contrà

quàm

quàm nemo credidiſſet, omnia, quæ legati attulerant, tam accepta, ut videri potuerit, non modò non alia quondam expectaſſe, ſed hæc ſola ſibi donari afferrique concupiſſe. Nec ſatis habet aſpexiſſe ea ſemel omnia, niſi iterum iterumque ſingula contempletur. Luſtrat oculis flagella, jam ictum plagaſque meditantia, nec fugit; videt clavorũ acumina, malleique pondera, nec expaveſcit; ſpectat coronæ ſenticeta, jam capiti minantia, nec divertit: ac ne diu parvis hîc iſtis immoremur, videt lanceam in vulnera jam intentam, & impavidus occurrit; videt crucem ſupplicio paratam, & lætus ultrò geſtienſque prehendit, invadit, incumbit. O ſpectaculum, nullis antehac mortalium oculis uſurpatum! Quæ alios, vel procul audita, metu percellunt, hunc ea cominus etiam aſpecta alliciunt attrahuntque; & ad quorum umbras viri quoque contremiſcunt, horum minas Puerulus infans ſuas eſſe delicias illecebraſque arbitratur.

118 ITAQVE nonciis modò adminiſtris, qui munera tam expetita detulerint, gratas gratias habiturum ſeſe; ſed illos etiam ipſos, qui miſerint, prolixè remuneraturum, pollicetur. Simul in genua ſubmiſſus,

incipit

incipit singula, ut humi jacebant, tenerâ manu cum curâ colligere, sedulóque alia in fascem alligata, alia in canistrum imposita, humo attollere: tum fascem ominosum, quòd is grandiusculus esset, succollantibus humeris excipere, corbem verò, clavis & reliquo id genus instrumento onustum, pendente lævâ sustinere: tum porrò, cùm eadē crebris osculis, verbísque blandissimè salutasset, hac illac ovantis in morem circumire, opesque suas non ipse solùm assiduè contemplari, sed ad easdem inspiciendas alios item aliósque invitare. Venirent, viderentque omnes, & curiosè clientum suorum obsequia numerarent, quibus advenientem excepissent. Gratularentur hos sibi flores, quos hospita prata uberrimos protulissent, quibusque liberaliter corbes totos & canistra implessent; nullos olim neque Pæstanis in hortis, neque Hybleis in campis provenisse gratiores. Suspicerent denique felicem hanc arborem, quam ipse sublatam in humeros, & brevi mirabiles fructus portaturam, alacrior lætiorque bajularet, quàm si Regum purpurâ ostroque & auro circumdaretur. Hæc æterna sibi insignia, hæc sui exilii solatia, hæc amicitiæ pactæ fœderisque fore monimenta.

119 Cum hoc ornatu Puer amabilis è ſcenâ jam diſcedebat,ni abeuntem Cælites miniſtri, novis magniſque precibus adorti, retardaſſent. Etenim iſti, poſteà quàm attoniti ſenſerunt, quanto in pretio illa munera, quæ ipſis deſpicatui fuerant, haberentur; circumfuſi, de genibus ſupplicant,ambitioſeque unum hoc omnes allaborant,ut inde partem ſibi aliquam ſinguli capeſſere, & ſive pondus id eſſet, exonerare Domini humeros tam gravi ſarcinâ; ſive voluptas ea foret,etiam clientulis deguſtare aliquid ejus illecebræ liceret.Nam æquum videri, ut qui illi hæc ſeu triſtia tandem ſeu læta attuliſſent, ipſimet neutrorum abirent immunes. Ceterùm,quantò hæc illi maximè urgebant, tantò Puer omnia cupidiſſimè retinere, ſimuque toto involvere, & pectori apprimere,& humeris tenaciſſimè affigere perſeverabat: dum denique victor, cum eâ ſarcinâ, non aliter quàm ſi ſpoliis opimis potitus triumpharet,è proſcenio diſceſſit, magis oculis ſpectatorum,quàm animis hominum memoriiſque ſubductus.

120 Audiit hæc ſibi Adoleſcens, quo de exorſi ſumus, accuratè copioſeque, uti res ferebat, explicari: &,Eò me minùs,inquit,

quit, jam pœnitet oculos in hac præcipuè picturâ fatigasse. Nec deerat suspicio, quæ plusculum aliquid sub his coloribus latere diceret; sed absque te fuisset, ad hanc argumenti suavissimi medullam equidē non penetrabam. Quapropter ut oculi mei plurimum tabulino huic tuo debeant, cujus aspectu suavissimè sunt oblectati: animus tamen plus orationi se tuæ fatetur debere, quâ interprete fecisti, ut non solùm intelligentior quàm veneram, sed etiam melior me ipso, aut certè adversus hæc divinissimi Pueruli merita gratior attentiorque discedam. Hæc optimo seni cùm non pessimus Adolescens respondisset; actis humaniter, quas in digressu solemus, gratiis, de tabulâ porticuque velut deliberabundus recessit.

121 Nos autem, qui quanquam in pinacothecâ tam nobili tabulam hanc archetypam, suis, id est, pulcherrimis coloribus expictam, ipsi non vidimus; ejus tamen apographon non semel & vidisse nos, & circumtulisse, plerique recordamur: quid, inquam, hîc agimus, dum suavissimam Numinis infantiam cogitamus, hisce donis tam illiberalibus esse ab unoquoque nostrûm exceptam? nos enim hunc illi

corbem

corbem merce tam funestâ tragicaque instruximus; nos funes hos nodosque informes texuimus, hos ferrugineos flores, & hoc è vepribus diadema nos illi concinnavimus; nos illa trabis horrendæ pondera, illa hastæ lanceæq; ferramenta, illa sceptri ludibria commenti sumus: nostra est hæc myrrhæ fellisque phiala; nostra hæc aceti spongia; nostra hæc omnis, quâ seu humeri gravantur, seu scapulæ premuntur, seu manus lacertique fatigantur, est sarcina. Hæc infanti nostro Deoque dona misimus, hæc hospiti lautia, crudeles & barbari cives, hæc studii nostri indicia, perfidi clientes obtulimus. Quorum omnium donorum, si meritò nos pudet hodie pænitetque; quid caussabimur ignavi, ne dona nobis nostra postliminiò asserere, & ab innocentibus humeris in nostras cervices illicò transferre laboremus? Certè si quis adhuc nobis est rubor, non patiemur, suavissime Puer, ut nostro te fasce, tam iniquo & gravi, pressum oppressumque, nos oneris immunes & desides, posthac intueamur. Neque nos illa, quam Cælites tui nunc tulerunt, repulsa deterrebit: meliori quippe, quàm ipsi, suffragio, in hoc ambitu, juvamur. Nam in sarcinâ tam tristi

invadendâ alienas ipſi exteraſque ſibi prædas, nos verò noſtras nobis opes propriaſque vindicamus: quas hoc ipſo nos, quòd inſonti donavimus, ſontes recipere, cælo terraque judice, meremur.



DELICIARVM LIBER SECVNDVS.

I.

B. VIRGO Joannis Patritii ex aſſe heres.

Ex Breviario Romano Nonis Auguſti, Baronio ibid. & in Annalibus anno 367.

1 VOD Deum immortalem, Deique optimam maximam Parentem, & nos & majores noſtri diu multumque precati fuimus; quodque impetraturi vix unquam credebamur, ut eum aliquando locum Parthenoni veſtro attributum conſpiceremus, quem cælitum Imperatrix ſibi ſuiſque honoribus ſacrum, & Sodalium votis opportunum, & excitandis clientûm ſtudiis eſſe proprium jure perpetuo vellet: id, aliis quidem, ut fieret, metuentibus; aliis, an futurum eſſet, ambigentibus; quibuſdam, fieri etiam poſſe negantibus, hodie tandem conſecutos eſſe nos noſtris

 oculis

oculis intuemur. Habetis enim Sacellum, ſitu aſpectuque amœnum, conditione percommodum, veneratione religioſum, amplitudine ne majori quidem hominum frequentiæ anguſtum. Et habetis id, nullâ exterorum ope, ſed veſtrâ liberalitate impenſaque magnificè exornatũ; qui omnes, ut loco ſuus hic ſplendor addi, ariſque & ſubſelliis, & parietibus ſua facies, velut veſtis elegantior, induci poſſet, veſtris fortunis parcendum eſſe non putaſtis; ſed, prout cujuſque copiæ erant, opem afferre ſinguli aliquam & domicilium à ſitu ſenioque in hanc novitatem vindicare laboraſtis. Quo in ſtudio non eſt conſilium mihi, quantam facti veſtri memoriam ad poſteros reliqueritis; ſed ſolùm (ſi conferri ſe magna cum mediocribus patientur) quàm laudabiliter, veteris cujuſdam viri primarii veſtigia ſervaveritis, percenſere.

2 JOANNES is erat, Romæ quondam, inter Urbis Principes clarus: cujus ſi genus requiritis, omnem Quiritium nobilitatem inter avos ejus proavoſque reperietis: ſi ſeriem imaginum, atriorum ceras, columnaſque magnis viri inſignibus plenas videbitis: ſi opes & aurum, hoc verò non ad Senatorios cenſus, ſed regios luxus, nec

ad

ad Patritii sumptus, sed Cæsaris fastus credetis suffecturum: si denique mores virtutesque, jam cetera ei omnia defuisse, harum omnium copiám superfuisse, jurabitis. Ut adeò in homine uno nobilitas cum fortunâ, dignitas generis cum mentis præstantiâ, splendor ordinis cum virtute animi, prudentia cum indole comitateque decertarint: quæ cùm collata inter se singula vinci nequaquam possent, omnia ex æquo visa sunt vicisse.

3 VERUM in hac fortunæ prærogativâ non deerat, quod hominem, cetera omnia saturum ac felicē, assiduè adhuc maleque sic discruciaret, ut inopem ex opulento, & ex fortunatissimo reddere miserum videretur. Quid autem id fuerit, video plerosque vestrûm expectare; eaque propter diutiùs ego vos non morabor. Erat JOANNI conditione non impari conjux, lecta in primis femina, & viro Principe digna; sed liberi deerant, nepotesque, quos è divite thalamo sterilis sibi senex frustrà pollicebatur. Nullus illum in aulâ comitari Ascanius, nusquam Astyanax per atria vagari: nemo qui patrem referret, qui matrem agnosceret, qui murmure blæso familiam oblectaret. Hæc sola orbitas, quamcumq;

aliam potuit ubertatem, velut accisam illi excisamque abolere: hæc una & modum ceteræ felicitati ponere, & animi lætitiam, ne qua purior interdum pleniorque afflueret, inhibere.

4 Et usuvenerat sæpe, ut servulis officiosè succollantibus, nunc in hortorum viridaria, nunc per umbrosa nemora, nunc ad amœna prædia, sublimis gestaretur, quò ægritudinem animi ex orbitate crescentem, rerum studiorumque vicissitudo leniret: inter quæ tamen omnia, suspirans identidem gemensque exclamabat: Nihil agis ingeniosa varietas, neque temperas senis dolorem, sed acuis infesta morbum, dum mihi aut Milvios pontes, aut Ariciæ clivos prætereunti, confertos Iri Codrique nepotes occurrere; dum in paupere turbâ tot jubes parvulorum agmina salire, tot vagire infantium ora, & matris famelicæ lactentia tot pignora, orbo mihi divitique, velut illudens ostentas. Quem in finem opes immensæ me gravant? quorsum atria me porticusque tam vastæ? quorsum ædes aulæque solitariam senectam obvallant? aut cui bono, congesta de Gargaris tot horrea, & arata per Campaniam tot jugera, & in Afro littore exigenda tot

portoria,& per Urbes populosque tot uni vectigalia laborant, si hæc omnia sunt herede caritura? si nullum, qui patris decessuri oculos claudat, qui defectæ matris senium foveat, qui utrique exsequias eat, olim sunt habitura?

5 INSULTAT opibus meis felicior egestas,& plena mihi tuguria deridens exprobrat: ubi puerorum greges frigentem focum inquietant, ubi ex asse heredes longam mendicitatem reportant, ubi denique maciem à fertili matre, & famem pro patrimonio expectant. Mihi interim palatium solitudo est: aurum, vel Regibus ambitum, heres fastidit: patrisque nomen, quod in hanc sportularum fabulam prodigitur, Patritio negatur. Daret unam hæc omnis opulentia mea sarcinam, parentum ulnis excipiendam: cùm fœta paupertas omnes suorum sinus impleat, tergique gibbum vagientibus cunis oneret, & absternias mensas hiantibus pullis coronet. Dicebat hæc sæpenumero JOANNES, neque clam uxore suâ, quam & ipsam pares in questus exemplo trahebat. Verùm dicebat hæc etiamdum junior vegetiorque, ratus adhuc flecti conviciis talibus, aut lacrimis certè emolliri posse orbitatem,
 perti-

pertinaciâ exorandam : ſed aliud cælo conſilium erat, ſterileq; palatium magnis olim heredibus ſervabatur.

6 ETENIM, ubi fuſæ diu multumque preces in irritum recidere, ætaſque duorum melior in ſenium poſtremò deſiit; abjectâ liberorum ſpe Patritius cœpit ſecum, ecquem alium ſibi heredem adoptaret, cogitare. Hìc omnia reputanti, nemo neque de familiâ clientulus occurrebat, nec in Italiâ cunctâ peregrinus, cui ſuas moriens fortunas commendaret. Itáne verò? Etiam terra, inquit, aliquando contemnere opes, & faſtidire divitias didiciſti? & neminem mihi, ne tu quidem oſtendis, qui ad auri venientis fulgorem aut manum protendere, aut ſinum explicare, aut oculũ adjicere jam concupiſcat? Inveniam ego ſupra terram aliquos, qui flaventem hanc terræ glebam non æquè omnes pertinaciter contemnant. Ad vos imus, Cælites magni (nam ut eamus, felici neceſſitate nos provocatis) date vos parentibus orbis, date ſenibus copioſis, date opibus noſtris, non jam liberos, quos hìc brevì morituros relinquamus; ſed date heredes, quos æternùm victuros morituri propediem inviſamus.

7 Tum autem, ut si cælum omne ad vota Joannis sese diduceret, ingens Cælitum accurrit numerus, suique copiam Patritio facit; & quemnam unum ex tot millibus heredem velit, expectat. Hîc tu quid tecum, felicissime, cunctaris? An, datâ tot heredum copiâ, flere tuam adhuc orbitatem, & quærere porrò liberos perseveras? An ipsa potiùs hæc copia rursus inopem te facit, ut huc oculis, huc mente tractus, quem ex tam multis optimũ adoptes, ambiguus expendas? Atqui nihil hac quidem in re, cur hæreas, est necesse: age modò, & audacter elige. Errari non potest, ubi ex omni numero quisquis eligitur, optimus invenitur. Et Petrum hîc opportunè, cæli clavigerum vides: placet hic? Hîc Paulum tu, alterum patriæ tuæ parentem habes: placet iste? Hunc adoptes, an hunc, juxtà erit; idoneus uterque, uterque dignus, uterque optimus tibi heres succedet. Quid multa, in re liquidâ dubius moraris?

8 Vis illum fortasse tu, quem sagittis hîc arcuque conspicuum miraris? Sebastianus est. Vis illum, qui sartagine prunaque assatus hîc adstat? Iberæ originis Laurentius est. Hunc tu heroëm qui de ense, an

 illum

illum tu mavis qui de igne flammaque triumphavit? Alium hic rursus à leone victorem, alium à cruce, & alium à carcere hic vides: quem istorum tu probas? nullum in his competitoribus errandi periculum est. Etiámne tamen hîc differs, & in eligendo timidus hæres? Cogita senex, non patrimonium hos sibi, sed te tibi heredem quærere. Invenisti sexcentos, & adhuc odiosè perquiris? Quamquam intelligo jam, quid perplexus adhuc triceris. Vides ab aliâ cæli parte, Virginum illustrium Parthenonem, atque inde Catherinas existere aliquas, rotis, & rotarum aculeis interritas; inde Agnas prodire, stridentibus rogis, & victis tortoribus claras. Jam & Agathas forcipe suâ, & Cæcilias vulnere non uno insignes: & has denique tot alias heroinas confertim obstare vides, quas universas esse tu intelligis dignas.

9 O Fortunatam hominis sterilitatem! quæ nullo inter mortales habito delectu, omne patrimonium dispensaret! Ecquos tandem heredes his talibus illustriores tu expectas? Enimverò exspecto, inquit: & tametsi fortunis meis dignos esse tam istos video, quàm istos & istos; tamen heredem adhuc.

adhuc alium, & istis ego digniorẽ & istis, requiro. Hic intelligitis, opinor, quem sibi vir magnus heredem alium expectarit. Intellexit certè illa ipsa, quæ adhuc sola exspectabatur. Quare prodiit novissimè Virginum omnium Regina; prodiit, inquam, hæc competitrix, suoque adspectu, Virginum ceterarum Cælitumque præsentiam facilè omnem extinxit; ac ne JOANNIS animus dehinc fluctuaret, momento temporis in se unam cunctas ejus curas cogitationesque convertit. Ipse quoque simul illud cæli jubar, quo licuerat, obtutu suspexit; hanc certè se Virginem, hanc imò se unam, & opum, & rerum, & facultatum suarum heredem adsciscere professus, ambiguam diuturnæ consultationis litem feliciter diremit.

10 NAM ceteros ejus loci competitores veneratus, cùm ad Virginem respexisset, non distulit, quin gaudii plenus exclamaret,

Et Petre dignus eras, & dignus Paulle (fatemur)
Vosq; alii, nostras ut caperitis opes;
Sed placeat vestrûm quamvis mihi quilibet, una,
Parcite, præ vestrûm quolibet ista placet.

Inde suam sibi orbitatem fuisse optandam; inde divitias, paullò ante ingentes, nunc parvas censuit & angustas videri,

totoque Imperio Romano, omnibusque terris licitari se talem heredem debuisse: acciperet modò facilis ea lubensque; & quò abdi condique argentum, in quæ cimelia referri hoc aurum, aut ubi locorum asservari totum hunc assem vellet, ostenderet. Nec omisit continuò Virgo, quin ibi adituram hereditatem se responderet, ubi locum illi, suis opibus idoneum, esset monstratura.

II ERANT Romæ per id tempus immodici calores, cùm Nonæ Sextiles plus quàm Siriis ardoribus flagrarent. Ubique æstuare valles, fumare colles, ardere montes. Sitiebant arentia prata, irritisque votis suam sibi & tellus pluviam, & homines auram, & pecudes optabant umbram. Inter hæc urbis anhelantis incendia adest iterum opportunè Virgo, & JOANNI per quietem indicat, quid opus sit facto. Eum in Urbe locum requireret, cujus aream nive undique opertam, glacieque & gelu prope hiberno rigentem invenisset: nam eo se loco sedem capere, templumque sibi conspicuum ædificari velle, in cujus fundum cultumque sua sibi hereditas omnis magnificè impenderetur. Hìc enimverò JOANNES, quid aliud sibi quàm jocantis

ſomnii ludos objici putaſſet? Scilicet ullas uſquam in æſtuante viciniâ nives Auguſto menſe quęreret, quas nullas ibi ne December quidem promiſiſſet? Quærit tamen, & plenus ſpei, fidem oſtenti non ſegniter explorat; cubituque ut primo diluculo ſurrexit, in omnes Urbis partes familiam dimittit; ipſe ad Eſquilias, non ſine Numine, contendit: atque ibi cùm facili clivo in ſummum collem evaſiſſet, videt, (ô gratum ſeni felixque prodigium!) videt inſolito gelu caneſcere verticem, & non pruinâ tenui, ſed altâ multaque nive occupatum. Nec tamē nix illa ſe totis Eſquiliis ſuperfuderat; ſed (quò conſpectius rei miraculum foret) eam duntaxat areæ partem inſidebat, quam Virgo ſapiens & fundando ampliſſimo templo, & profundēdo JOANNIS patrimonio parem deſignarat.

12 JAM porrò non erit, opinor, hîc quiſquam, qui ſecum ipſe, quid, accepto tam luculento Virginis prodigio, JOANNES decreverit, auſit dubitare. Vixdum enim nives eæ, ſolis caloribus ſolutæ, collem Eſquilinum nudaverant, jamque operas ille fabroſque, ære conductos, confertim adducere, jam humum, quàm late miraculum patuit, omnem fodere, magniſq;

molaribus ſubſtructiones & fundamenta locare, tum ædem ipſam properatis ſtudiis exſtruere; dum in hanc demum amplitudinem, quâ hodieque Romæ viſitur, excreſceret, & in magnæ Heredis titulo, immortale ſenis orbi nomen conſervaret. O conſilium viri, factumque memorabile! ô laudabilem divitis Patritii orbitatem, & fecundis aliorum thalamis invidendam! quâ unâ ſe longiùs perenniuſque propagavit, quàm ſi omnem Priami Danaique propaginem inter liberos nepoteſque recenſuiſſet. Quis enim ſterilem poſſit hujus ſenectam reputare, qui tantæ compos heredis, opes cetera mortales & caducas, hac unâ ſucceſſione ſtabiles effecerit, & nullâ temporum injuriâ perituras?

13 AVDISTIS hoc viri magni facinus illuſtre, Sodales; & in eo veſtros audiſtis non impares conatus laudari, quibus & heredem quæſiiſtis, in quem beneficentiæ veſtræ unciam certè aliquam, ſi nondum & aſſem, plerique tranſcriberetis. Et reperiſtis opportunè ex omnibus Cælitum copiis hanc eamdem Virginem, quâ majorem melioremque adoptare vos nullam aliam potuiſſetis. Quoties enim auditæ exceptæque veſtræ ſunt voces, quibus ani-

mi flagrantis desiderium prodebatis, ad Virginis hujus præsidisque rempublicam, modo quo optimo liceret, exornandam? Locus ad hunc usque diem defuerat, & cum loco defuerat occasio. Rogastis, postulastis, efflagitastis. Atque ecce, locum assignat hunc vobis ipsa, nivibus inter medios anni calores obsitum. Nivibus, inquam: nisi fortassis in hoc Mariano Parthenone, vos soli dubitatis, nivẽ conspici; in quo tot innocentissimæ vitæ, summæq; indolis ingenuo candore insignes adolescentes nunc videtis; qui noxium juventæ primæ calorem, omnemque vitiorum æstum, cælesti rore, & Virgineâ nive, non temperare, sed frangere, perimere, exstinguere, assiduè laborant. Date porrò vos operam, intendite nervos, & animi vires, quotquot adestis, & quotquot etiam non adestis, omnes impendite; ut ne hanc hujus areæ purissimam nivem, unus aliquis nostrûm, aut turpiter olim deformasse, aut labe maculâve inquinasse, cum æterno posterorum convitio, arguatur. Quin id magis unusquisque studete, uti & Virgo sese coloniam hanc deduxisse gaudeat, & alii ex vestris moribus perspiciant, vos loci non indecores colonos fuisse.

II.

B. VIRGO Alberti Magni Magiſtra & Mæcenas.

Ex Annalibus Dominicanis apud Hieronymum Platum, 2. Stat. Relig. 33.

14 NIHIL equidem hodie neque primæ pueritiæ tam perſuaſum, nec adoleſcentiæ provectiori tam certum arbitror haberi; quàm, eſſe Cælites, qui ſcientias noſtras litteraſque, velut auctores earum præſideſque, ſingulari patrocinio fovendas ſibi ſumpſerint ac protegendas. Ceterùm neſcio quid, malè decepti, humanas ferè diſciplinas iis conſecremus; tanquam profanis illi ſtudiis, ac non potiùs Chriſtianis, ſoleant ſuffragari. Quam tantam injùriam ne cælo faciamus, vehementer adoleſcentibus cenſeo cavendum. Amant enim ſuperi litteraturam, mihi credite; ſed amant præcipuè ſacram & Chriſtianam. Quod ego, dum Virginis magnæ teſtimonio confirmatum eo, quæſo vos, oppidò brevem non orationem, à quâ volens abſtineo, ſed (quod plerique mavultis) narrationem auſcultate.

15 In iis Annalibus, qui gentis Dominicanæ primas origines tradidere, ſedecennem fuiſſe adoleſcentem legimus, qui, memorabili oſtento, res olim maximas conſecutus, claram ad nos ſui memoriam, nomenque in paucis nobile, tranſmiſit. Albertum parentes dixere; nos, ſive virtutis in eo lucem, ſive eruditionis famam admirati, Magnum hodieque nuncupamus. Hujus indolem præclaram cùm multa animi decora commendarent, ſola ingenii remora, & memoriæ natalis quædam ignavia, deformabat. Quo naturæ vitio fiebat, ut minimos adoleſcens, ac propè nullos in litteris progreſſus facere; ſed ceteris longè omnibus concedere, ſcholæque jocus, & æqualium ludus eſſe, perpetuò videretur. Neque enim tam hebes ne ipſe quidem tum erat, quin, quantum & relinqueretur poſt alios, & unus præ aliis rideretur, intelligeret. Inter quas ſcholæ ærumnas quid eum cogitaſſe vos autumatis? quibus convitiis aures quotidie flagellari? quibus animum macerari tædiis? & quantis inde lacrimis ora perfundi ſibi rigariq; identidem ſenſit?

16 Et, Has ego tot, inquit, injurias quouſque tandem ferreus ſuſtinebo? Laceſſor

cessor undique, & alternis conviriis jam ora jam aures verberantur, dum semper ego vel stuporis mancipium appellor, vel tanquam inertiæ patrimonium objurgor: & æquales interim mei quantis me passibus antecedunt? vix libros eminus adspexere, & omnia continuò sciunt: quicquid legunt, dociles capiunt: quosque heri condiscipulos acceperam, hodie doctores meos repentè admiror. Solus ego neque Musas ad favorem flectere, nec placare mihi Apollinẽ queo. Et quamdiu demum hęc feram? Nunquámne aut videre ego illa desinam, aut illa me torquere? Incundus aliquando vel modus remedii est mihi, vel certè fastidii finis. Nam cui bono vires ego nequicquam attero, si stupiditas ne sudore quidem vincitur; & conatus ipse, quamvis improbus, deridiculo habetur?

17 CVM hæc adolescens magno animi æstu secum sæpius agitasset, id postremò consecutum est, quod fieri plerumque in tædio solet, ut ærumnas, quas vertere consilio nequierat, exsilio vitare cogitaret: pugnæque longioris impatiens, ad fugam (infame remedium) temerè verteretur. Miserum hic te, ALBERTE, qui malis auspiciis jam antè litteras aggressus, nunc pejoribus

pejoribus aversaris! Cogita paulisper tecum, quid inconsultò moliaris? Tun' ingenium hebes & rebelle speras corrigi per fugam posse? Tu fastidia scholæ, hac desperatione vitæ? tu notam probrumque ignaviæ, tam pudendo facinore vindicare? Considera unde temerarius recedas, quò præceps & quàm miserè ruas. Quacunque effugere voles, primus tu te ipse impedies, & alia tibi aliaque viam præcludent. Sive enim familiæ tuæ religiosissimas leges consulis, eæ fugam hanc prohibent, & pœnis gravissimis coërcent: sive commilitones tuos eorumque judicia requiris, ii consilium demens universi damnant & exsecrantur: sive denique te ipse tu arbitrum legis, audacter ajo, tu ipse te nunquam absolves. De Numine sempiterno, quam facti veniam tibi promittas, tu videris: nam illud ego iratum tibi, quaquà evaseris, occursurũ promitto; daturumque operam, uti te vel à cœpto nefario abducat, vel in improbo, quod nolim, conatu elidat.

18 NEC fefellit me futuri prædictio. Nam ALBERTVS his cogitationum fluctibus interdiu collisus, dum noctem somnumque impatiens opperitur, insperatò ad

ad rei mirificæ ſpectaculum abripitur. Simul enim ac ſopor oculis obrepſerat, viſus ſibi per quietem eſt, jam ſcalas parietibus admovere, per quas furtim evaſurus, ad exitium properaret; jam ad fugam ſeſe accingere, & gradus conſcendere; jam animosè ad uſque murorum faſtigia eniti; cùm ex improviſo quatuor illi Virgines (at quales, Superi, & quo aſpectu Virgines?) uno ſe agmine obviàm ferunt. Quas ego ſi pro dignitate jubear hìc laudare,

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum,

unius earum ſperē aut vultum depingere, aut habitum memorare. Omnia, puto, intelligetis, cùm Cælites fuiſſe auditis. Stabant ea tot cæli ſidera, & in ſummis gradibus, an ſui conſpectu deſertorem percellerent, expectabant. Verùm ut in incepto pergere, fugæque conſilia peragere ſenſerunt, aggrediuntur etiam manu vim parare, deque gradibus hominem ſemel iterumque seriò deturbant.

19 POTVISSET ferream ea vis audaciam exarmare: ſed cœptam ALBERTI temeritatem adeò non retudit, ut etiam animârit. Unde tertiùm, infelix, per eaſdē ſcalas, à quibus iteratò jam ierat præceps, enititur; tertiumque, nullâ jam cujuſquam violentiâ,

lentiâ, ſed facili ſolùm mitique alloquio deturbatur. Nam duabus, quæ præibant, Virginibus, ab adoleſcente inhumaniter repudiatis, cœpit tertia illum ſoror, ceteris non paullò blandior, compellare; & comiter, ecquid hoc tandem tam ſtulto conſilio velit, requirere, cauſſaſque deſperatæ molitionis percontari. Hic enimverò erumpere in voces indignatio; ſuique ingenii cladem adoleſcens; quam natura odio propè novercali intulerit, deplorare. Et nimirũ id infortunium fugitare ſe dicere, quod cum aſſiduo ceterorum riſu perpeteretur; ubi non litteris operari, ſed inundari lacrimis; non diſciplinis erudiri, ſed obrui injuriis quotidie; nec fructum denique laboris capere, ſed operam omnem, ſed vires, ſed ætatem ſeſe perdere experiretur. Igitur quam invenire quietem in ludò nequierit, eam in exilio ſe quæſiturum: ubi, ut parum certè commodi ſolatiique reperiret, plurimum tamen incommodi injuriæque ſit amiſſurus.

20 CONGEMVIT ad has hominis querelas clementior Virgo; damnatoque fugæ noxiæ decreto, mentem jubet meliorem ſanioremque capere. Nam cui bono ſe ipſe præcipitaret? Et, Quin hoc prius agis, ô bone,

bone, opemque, ait, aliunde huic malo tu quæris, quàm ad hæc ultima desperationum descendis? Hæsitanti etiamdum ALBERTO, & neganti, in terris quemquam esse qui opitulari etiam rogatus possit; illa, digito indice, in quartam Virginem intento, Hanc imò tu, inquit, si rogare potes, patronam haud dubiam invenisti. Tollit ille, velut detersâ nebulâ, languentes oculos, videtque augusti habitûs Virginem; quæ oris ambrosii venustate, comitũ suarum formas una omnes exstinguebat; neque radiis undique diffusis, aliter splendebat, quàm solet *inter ignes Luna minores.* Vidit hanc, inquam, & neque quid jam ageret, attentus, continuò tam fugæ prioris quàm mœstitiæ immemor, ultrò substitit; id modò sollicitus, ut omnibus omissis, Virginem posset usque dehinc & usque contemplari. Senserat enim haud obscurè, agnoveratque, (quis autem non agnovisset?) eam orbis utriusque Reginam, eam Cælitum Imperatricem, eam Numinis æterni felicissimam parentẽ esse.

21 VIDEOR hîc mihi, Sodales, egomet ipse rei spectator interesse, videor vultum atque ora Lunæ illius contueri; videor sermones tacitus arbitrari, quibus ALBER-

TVM illa perterritum excitârit, erexerit, confirmârit. Sed videor mihi duntaxat: utinam verè adesse, propiusque hæc omnia liceret explorare! Eorum fructus aliquis etiam ad vos, auctore me, non dubiè perveniret. Neque enim ulla totius colloquii vox meam curiositatem immunis effugisset. Interim, quando verba sermonesque referre non possumus, certè autem quæ res evenerint, auscultemus. Nam opem adolescens petere nondum à Virgine inceperat, jamque exorata, preces ultrò ipsa occupabat, votumque oblato munere prævertebat: præparcam se difficilemque interpretata, si, donec rogaretur, expectasset. Et poterat sanè liberalitas adhuc non modica videri, si supplici priùs diuque flagitanti, atque adeò lamentanti, morem denique gessisset. At illa & citiùs multò quàm ipse oraret, & plus quàm peteret, & majus aliquid meliusque quàm speraret, liberaliter non promisit, sed obtulit etiam, obtrusit, donavit. Quid autem illud, interrogatis? Memoriámne, quâ pridem omni caruerat? An ingenium, quod prætenue habebat, ac propè nullum? an eloquentiam, & rerum æquè ac verborum copiam, quâ præcipuè destitutus, misera-

bilem

bilem se apud ceteros esse agnoscebat? Profectò, Sodales, si cui alteri vel horum singula obvenissent, luculento se munere donatum, unusquisque judicasset. At huic hodie fortunato, à beneficâ Virgine, propè insperanti, simul universa felicissimè, quod audietis, obtigere.

22 O beatam adolescentis conditionem! & ex misero quàm repentè felicem! Jubetur sinum omnem expandere; jubetur optare, & quicquid datâ optione malit, confestim tollere. Tu intereà nondum evigilas, ALBERTE? tu fortunæ huic tantæ patefacere aditum moraris? Unus, ecce, jam labor est, non quid impetres contendere, sed quid postules cogitare. Sacrorum te disciplinarum arcana delectant?) uno dic verbo (quid pendes?) & impetrasti. Geometriam mavis, & Euclidis mæandros, & Archimedis labyrinthos vestigare? Patent per hanc Ariadnam omnia; succede. An lubet cum Stagiritâ parturientem naturam inspicere, caussasque rerum & effecta mirari? an potiùs cum Platone mores, & leges, & Rempublicam condere? In Virgine, mora non erit ulla: elige solùm, & omnia comparasti. Obstupuit liberalitate non expectatâ ALBERTUS: &

inani

inani captus earum rerum illecebrâ, quas in ludo cum æqualibus id temporis tractabat, præceps, ad illas sibi comparandas, animum applicat; & dum infima consectatur, omittit meliora: nempe, quod ætas improvidè suaserat, hominum scita divinis, profana sacris, mortalia sempiternis, pueriliter præoptat: sat opimum divitemque ratus, qui voto gratuito primas sibi partes in Philosophorum comitiis vindicasset.

23 Imprudentiam adolescentis miserandam! cæcamque opum maximarum æstimationem! Non tu dudum, maxima Virginum, non hìc, inquam, tu indignaris? non istud ipsum tu, quod ultrò promiseras, offensa jam irataque ALBERTO negas? Imò enimverò habeat, inquis, opes ingenii quas flagitavit: impleat se litteris humanis, quas concupiit: addam insuper ego divinas, quas illis posthabuit. Non patiar, liberaliùs aliquid ille petierit, quàm dicar ego præbuisse. Ceterùm, quando in tam ubere copiâ aut parcior fuit quàm ego jusseram, aut imprudentiòr certè quàm debuerat; neque eo loco rerum pretia duxit quo convenerat; sed Filii mei scientias infra Aristotelis categorias abjecit, artesque

 morta-

mortalium præ cæleſtibus exoptavit; ego Filii contemptum mater vindicabo, faxoque, in eandem ut hebetudinem olim nec opinatò relabatur, quam beneficio nunc meo ſe ſentiet exuiſſe. Commodùm hæc erat elocuta, excuſſoque ſinu, donis clientem congruentibus impleràt, cùm Adoleſcens videt omnem illum Parthenona rareſcere, Virgineſque cœlo receptas ex oculis abiſſe.

24 HIC ALBERTVS poterat fortaſſe, atque adeò poteramus & nos, ſubvereri, ne quà ſopor hanc inſomniorũ fabulam commentus, adoleſcenti, quod ſolet, impoſuerit. Sed metum hunc eventa mox ipſa liquidò confutarunt. Rediit enim ad ſe ille, & rediit ad ſuos: ſed jam nullus in toto ALBERTO ALBERTVS. Adeſt omnium, quæ legeret audiretque, tenax memoria; adeſt linguæ verborumque affluentia; adeſt ingenii vis & perſpicacitas miranda; & denique quid non? Mirantur magiſtri, condiſcipuli cedunt; & ſive jam interroget, auſcultant; ſeu diſputet, laudant; ſeu doceat, acclamant. Repentinam, Sodales, mutationem, ac propè incredibilem; ni à tali Magiſtrâ legeremus profectam! Quis noſtrûm in hujus diſciplinam dedere ſe,

ſtudio-

ſtudiorumque rudimenta ponere apud hanc, detrectet? Quis ſubſidium in hoc ludo adverſus ignaviæ venena reperire, & ſub hac Pallade progreſſus in omni litteraturâ memorabiles efficere non ſperet?

25 ATTAMEN, ô rerum noſtrarum ludibria! ô deplorandam felicitatis, quâ plerique nitimur, inconſtantiam! Hic ille tam inſperatò fortunatus, & jam omnium famâ; etiam inter ingenioſos litteratoſque, MAGNVS: hic ille ALBERTVS, inquam, cùm ſcholas jam omnes cathedraſque multifariàm nobilitaſſet, litteriſque poſteros, & libris bibliothecas inſtruxiſſet, orbe terrarum ad ſui admirationem converſo, quam poſtremò gloriæ ſuæ metam invenit? Nempe, quò ſublimiùs ad ſcientiarum faſtigium in dies evehebatur, hoc propiùs ad priorem infantiam identidem revolvebatur. Ecquid hìc ſubſiſtis oratio? quid invita lentaque progrederis? Dicendum utique ſemel eſt, & quod priùs quàm accideret, dictum à Virgine jam fuerat, hìc, velis nolis, eſt repetendum. Cùm ſenio quondam & labore feſſus, in frequenti ſcholâ doctiſſimè, ex more, diſputaret, nihilque adverſi, tum quidem, metueret; ecce tibi! medio in conatu omnis illum memoria

inopinatò destituit, unoque temporis momento, cùm illa divinissimi ingenii vis defecisset, elapsa, quam expetierat, Philosophia est, rupta Archimedis Sphæra, Appollonii Conica, Euclidis Elementa; quodque tristius fuit, simul omnis illum Theologia, & comparata eruditionis copia, velut ex compacto dereliquit. Stetit ALBERTVS seipse primùm, reique insolentiam admiratus, cùm in publico suum silentium erubesceret, aliosque casum miserari, alios etiam fortunæ suæ illacrimari conspiceret: ac tum denique, qui cetera omnia per oblivionem amiserat, hoc unum profectò non æquè etiam dimisit, quin adhuc recordaretur, eam sibi linguæ mentisq; infantiam, à vaticinante Virgine prædictam, in temerarii dilectûs ultionem divinitus evenisse.

26 QVANTVM ea res illi dolorem pepererit, quis divinabit? Quoties suam adolescentis amentiam senex incusavit? quibus suspiriis lacrimisque præposterum sciendi amorem expiavit? Et fingite vos, earumdem rerum alteram ei nunc rursus optionem deferri, nunquid hoc dicturum non existimatis: Ite vanissimi mortales, atque ut profanis litteris operemini, studia divina socordes intermittite; ut curiosi

naturæ vires coràm indagetis, æterna futuraque negligite; ut fabularū commenta per otium evolvatis, ſacra volumina pertæſi præterite, contemnite, abjicite. Veniet illud tempus olim, veniet, cùm ſtulti vos conſilii mecum pœnitebit: quando ipſi Platones vos veſtri accuſare, quando arguere Cicerones, quando damnare Marones (nam Naſones, amorumque triumviros quid dicam?) incipient, quorum libellos auro ſoletis oſtroque includere, & manu ſinuque ferre, & nunquam, niſi oſculo priùs adoratos, deponere; dum intereà loci chartæ cæleſtes domi in pulvere ſquallent, dum blattis tineiſque relictæ, rarò in oculos, rariùs in manus veniunt; ad animos certè nunquam perventuræ. Quo vos olim vultu hanc virginum Reginam, quo ore Præſidem, in cujus clientelâ degitis, feretis? Fallimini, adoleſcentes mei, fallimini, ſi ejus patrocinium ſtabile ſperabitis, cujus ſtudia tam frigidè amatis: ſi ſæpiùs Phœbum ſonare quàm Chriſtum, ſæpius Jovis Palladem implorare, quàm Chriſti Virginem, aſſueſcetis. Diceret hæc aliquibus ALBERTVS; nos certè, ne dici nobis à quoquam poſſint, caveamus.

III.

B. VIRGO adoleſcentuli ludentis annulo devincta.

Ex Vincentii Bellnacenſis Speculo lib.7.cap.87. Ioanne Majore diſt.4.ex.2.

27 NON facilè nos ullius, opinor, ſpectaculi major voluptas teneret, quàm ſi quà fortè contingeret, ut ludentes cum homine mortali Cælites aſpiceremus. Nihil enim poſſet, ut equidem exiſtimo, in ejuſmodi ludicro, niſi elegans cum primis & venuſtum apparere: ſed eſſent univerſa piis gratiſque motibus referta, quibus ſuos ſpectatores vel ipſa ludi materia, vel ludionum certè peritia, mirificè oblectaret. Verùm hos ludos quamquam oculis ſubjicere jam nequeo, auribus tamen animiſque veſtris ut exhibitos ſentiatis, præſtabo.

28 STABAT in ſuburbano parvum opere, ſed cultu formaque celebre ſacellum, quod, pro eo ac erat antiquæ religionis, & ad Virginis parentis honores eleganter exſtructum, magnam habebat apud loci accolas

colas advenasque venerationem. Soli viridis uberisque planitiem umbra circum undique omnem opacabat, à tilieti foliis ramisque superfusa; Zephyri statio nativa, & nusquā tutior ab ira caniculæ recessus. Alluunt vicinas crepidines undæ, & in frondibus garriunt volucres, murmurant auræ, redolent flores. Ad hanc loci pratique elegantiam adolescentū aliquot condixerant, ubi fallendi temporis, corporisq; exercendi, pilà lusitarent. Omnes, uti convenerant, venere: abjicitur in medium pila: fit juvenum, ut solet, sortitio, & auctorati bifariàm in partes discedunt. Jamque adeò fervere opus, & hi vibrante manu pilam expellere, hi venientem excipere, iterumque petere alterni, & alterni eludere: alii suos clamoribus urgent, alii adversos provocant stimulantque: & si quà manus unius fefellerat, multi promiscuè occurrere, omnes fremere, nemo ferre.

29 In eo certamine, dum utrinque partium studia quàm maximè calent, Adolescentulus erat, paullò quàm ceteri tersior delicatiorque: quem ut nondum voluptas transversum egerat, ita, quin ejus tamen insidiis peteretur, nec ætas illum sua, nec

adhuc forma, fecerat immunem. Is ejuſmodi Adoleſcēs cùm pilam ſemel iterumque non malè redditam expuliſſet, ſenſit ab eo repercuſſu manum inſordeſcere, & paullatim à pulvere cænoque trahere labem. Ac fortè anulum in digito tum geſtabat, quem auro faberrimè factum, & palâ gemmâque venuſtum, à neſcio quâ Parthenope incautus acceperat; eoque impensè charum, ne quà in ludo rumperet, aut certè cum manu reliquâ contaminaret, decrevit exuere quidem illum, ſed quo tamen in loco reponere, & cujus cuſtodiæ committere tutò poſſet, aliquamdiu ambigebat. Ita deliberanti venit in mentem denique, ſi ludum interjungeret, atque ad ſacellum tantiſper à ſociis diverteret, reperturum ibi latebras, quibus anulum anulique gemmam tutò commendaret. Nec aſpernatus conſilium, curriculo è turbâ ſe viaque ſubducit, ac ſolus in ſacellum, quà proximè aditus patebat, ſubit.

30 COMMODVM ſubierat, cùm eminus conſpectum aræ pegma, arte opereque cælatum, oculos vagantes rapuit: atque ut accedere luberet propiùs, ingens animo deſiderium injecit. Circumſtabant ibi ſigilla Cælitum multa, cùm alia viſu perpulchra,

chra, tum verò VIRGINIS unum ex omnibus insigne, in cujus amplexu divinissimus Infans, hiantibus labellis, suavissimè renidebat. Ergo Adolescens dum ibi non perfunctoriè, ut in obviis, sed sollerter in singulis naviterque, ceu pertinax, inhæret; simul inter manus gemmantem anulum versat creber rotatque; videt opportunè, digitum indicem in sigillo Virgineo, præter ceteros arrectum, ita rigere, ut videretur ejus articulis inseri gemma percommodè posse. Hìc ille jam sui, quis esset, & quorsum venisset, oblitus, de nullo neque pilæ amore, nec anuli custode cogitare; sed ab imaginis adspectu paullatim ad meditanda cælestia abreptus, cæpit ibidem in genua procumbere, & calculis mutatis, alias curas de aliis amoribus versare.

31 NAM quas, inquit, ego res ago, qui ludicris istis vanisque studiis captus, ætatem tamdiu traho? Anxii nos per omnes terræ angulos, quid oculos pascat, quid animum teneat, quid tempus otiumque fallat, aucupamur: & cælum ecce vecordes negligimus, quod unum hæc universa, si rogemus, pollicetur. Equidem certè hunc ipsum, quem amo, anulum, cui rei circumfero amens, &, ne inquinetur, hìc

tam cautè asservo, nisi ut vanâ me pulchritudine vanus ipse delectem? Nempe donum id hominis est; & hominis cujus? mecũ utique, aut etiam ante me perituri. Tum autem tantillo teneri me vinculo sinam, eoque velut hamo impediri, ne ad libertatem adspirem? ejicienda semel est hæc animi mollities, & anuli, quamvis amati æstimatique, facienda jactura. Quanquam ne jactura quidem: nam ubi cælum ego suspexero, quos ibi mihi quantosque amicos comparabo? Memini fuisse, qui projectâ teruntii stipe, aut propinato frigidæ calice, Cælitũ sibi favores mercarentur: quid si mihi amicitias & hæc fortasse gemmula conciliabit?

32. DIXIT: *& aspecta miratus Imaginis ora,*

Hæc, ait, hæc auro est digna Puella meo.

Simul anulum sibi detractum expedit, eoque subjectum Virginis digitum gaudens induit. Nec anulum duntaxat suum commendat, sed se quoque totum in custodiam ei clientelamque tradit. Addit disertus preces, miscet affectus, affundit lacrimas, nihil prætermittit, quo demereri sibi & obligare custodem possit. Quin etiam ferunt, eo tum ardore rem omnem confecisse,

ciſſe, ut repudiatis nuptiis (ad quas fortè jam tum invitabatur) illibatæ pudicitiæ florem in ejus Virginis tutelâ conſervare decreverit. Facinus Adoleſcentis præclarum, & ad æquales poſteroſque cum laude tranſmittendum. Perierat anulus illi, ſi alteri fuiſſet cuſtodiæ commendatus: & meritò felicem tu tuum pilæ luſum judicabis, qui hanc tibi neceſſitatem impoſuit, ut, quam gemmulam vanus profanuſque aſſumpſeras, eam religiosè glorioſeque abdicares.

33 Nisi in eo fortaſſis adhuc diſputas, an exiſtimari debeat gratum id etiam Virgini donum accidiſſe? Certè autem ſi dubia hæc tibi res videtur, attolle ſis paulliſper oculos, & tuo te dubio abſolve. Fidem veſtram! Sodales. Vix etiamdum digito Virginis anulum, uti monſtravimus, indiderat; cum Virginis ſigillum primores manus articulos (quos arrectos priùs rigideque extentos geſſerat) cœpit paullatim, velut adductis nervis, contrahere; digitoq; introrſum inflexo, anulum acceptum ſic includere, ut niſi vis fieret, indexque rumperetur, elabi manu eximique porrò nequiret. Quod inſigne ſpectaculum ut oculos Adoleſcentis inſperatò rapuit, facilè

persuasit, ut animũ induceret Adolescens, donum Virgini placuisse. Igitur nihil ultrà cunctandum ratus, depositi fidem elatâ voce ratam esse æternamque jubet, & mirificè lætus,

Serva aurum, ait, optima, serva;
Pulchrior in digitis fit mea gemma tuis;

quæ ipsa, si priùs gemma non fuisset, jam certè contactu tuo disceret smaragdus, jaspis & adamas esse.

34 PLVRA quædam in hanc sententiam, quæ impetus ferebat, elocutus, cùm opinione diutiùs hæreret, ab sociis reditum præstolantibus, moramque pertæsis, obruitur; atque ut intempestivas preces abrumpat, pilæque ludicro se reddat, non instrenuè urgetur. At ille, veluti si rupes tunderetur, ad omnia surdus, nec voces audire, nec socios attendere, nec aliud curare, quàm quod in suæ Virginis simulacro conspexisset. Scilicet huc abreptus, animum sentiebat melioribus studiis operari, quàm si pilâ volatili, aut alio ludicro tempus miserè fefellisset. Quamquam ne istud quidem, in hac, inquit, arâ defuit, ut ludo prorsus omni carerem. Etenim dum inter æquales meos, interque pueros ludere adhuc me arbitrabar, inexspectatò vidi,

Non

Non Pueros mecum ludere, sed Superos:
nisi vos ludum fortasse, ludique genus eximium hoc esse non putatis, si mutas Cælitum imagines improvisò animari, manuque prolatâ micare digitis, & ultrò non ad incerta fortunæ, sed ad opima gratiæ lucra, invitare videatis. O felicẽ hunc meum errorem, quo insciens, cùm à vobis secederem, huc sum delatus! ô sæpiùs utinam citiusque sic errassem! Et vos tamen hinc me abducere? vos ad vestra rursus diludia pellicere speratis? Miseri jam planè vos, qui talia suadetis; quantò miserior ego, si persuadere vos sinam? Quin agitis autem, ipsique transire in has potiùs partes maturatis? meque in ludo meliori aut studetis omnes imitari, aut certè, si alia mens est, cessatis remorari?

35 Hic mihi, Sodales, compertum adhuc non est, an commilitonibus suis in causâ æquissimâ persuaserit Adolescens. Profectò autem si animus nobis sensusque est, qui Virginis esse clientibus debet; nos ii libentes erimus, quibus ille persuasisse se gratuletur. Circumfundimur vanis, ecce, & magno inani passim lacessimur: neque tam ludimus pilâ nos, quàm pilæ in modum ludimur ipsi trudimurque. Alium

idque, si mortalia inter se sola componantur, vulgo non absurdè credimus; tamen esse nihilominus in cælo saltem aliquid, quod omnibus homo velit oculis posthabere, nulli nos quidem dubitamus, qui tot Heroum & Heroidum millia scimus nullis olim corporis artubus ita pepercisse, quin illos, ubi res posceret, in Dei caussam unà omnes cum oculis audacter impenderent. Sed retinere quædam etiam alia cælum, quæ singula (quanquam longè Deo sunt minora) digna tamen sint, ut ea nos toto luminis oculorumque impendio licitemur; appositâ, nec, ut opinor, injucundâ narratione demonstrabo.

37 MAGNÆ sunt & eximiæ laudes, quibus quotidie Dei sanctissimam Parentem non modò nos ejus alumni prædicamus, sed sacri etiam Vates, loco non uno, mirificè magnificeque attollunt. In quo enim alio argumento possent ullæ se laudes aut uberiùs effundere, aut sublimiùs attollere, aut latiùs explicare, quàm in eâ Virgine, quæ una post homines natos

Nec similem sibi visa aliam est, nec habere sequentem?

& quæ itidem, quicquid ornamenti per universos Cælites dispersum est, id omne

velut

velut in se unam congestum esse collatumque, cum nullius injuriâ gloriatur? Neque enim in aliis virtus ulla laudari sic potest, quæ continuò ad hujus aut modestiam, aut pudicitiam, aut prudentiam, non erubescat. Nec usquam in terris tanta exstitit vel adversus Deum religio, vel in adversis fortitudo, vel in prosperis moderatio, quæ ad aliquam ejus comparationem ausit adspirare. Quid? quòd ne mentium quidem beatarum charitas in tantam adhuc flammã proruperit, quin præ istius incendio tepere se totam & algere confiteatur? Quare meritò divini Vates, quod eundo per singula virtutum ornamenta, finem modumque desperabant, invento compendio, totam utique pulchram, mulierumque pulcherrimam, & neque maculæ consciam, neque nævi ullius suspicione contactam, pronuntiarunt.

38 RAPVIT hæc tanta Virginis formositas non Superos duntaxat omnes, ut suos in eâ cuperent obtutus jam olim defigere; sed hominum quoque sensus oculosque laudata pulchritudo lacessivit. Eccur enim in desiderio tam felici nos soli aliis omnibus concederemus? non adeò lusci hebetesque cæcutimus, quin ad tanta formæ miracula

miracula etiam nos convertamur. Et verò ut aliqui noſtrûm ſint, qui excitari hac hujus Virginis venuſtate, ad oculos olim attollendos, tergiverſentur; non æquè tamen & ille ſe Adoleſcẽs continebit, quem veterum mihi monimenta produnt, admirabile nobis, cùm in colendâ demerendaq; Virgine, tum in ejuſdem aſpiciendæ deſiderio, exemplum reliquiſſe. Nam ut ejus in paucis erat ſtudioſus, ita cùm incredibilia quædam, ac pænè divina lectitaſſet, quę de ſingulari ejus ſplendore ferebantur; non temperavit, quin audacior aliquando erumperet, votiſque conditione humanâ majoribus indulgens, eam, cujus obſequiis ſe totum emancipaſſet, oculis mortalibus intueri deſideraret. In quo quidẽ conatu, tametſi non deerant quæ deterrere ſpem immodicam poſſent, animum tamen obfirmavit Adoleſcens, ut omnia ſibi de propitiâ Matre polliceretur. Nam quid illa ſupplicibus, inquit, ſuis negaret? Aliquis ingenium ſibi arteſque bonas poſtulârat; & biduo pòſt, plaudente Lyceo Philoſophus prodiit. Alius ſuam ei valetudinem, moriturus, commendârat; & ſtupente Machaone revixit. Alius hac patronâ in libertatem è vinculis evaſit. Alius, quos

hoſtium

hostium mucrones, & jam strictos in jugulum enses viderat, hac imploratâ, retudit illicò territosque disjecit. Et quid singula persequor? nemo irritâ prece hanc ejus aram oneravit. Quare neque me sinet unum inexorata repulsam ferre.

39 NIHIL his precibus Virgo, quanquam audacibus pæneque violentis, offensa, pium candorem libens excusavit; eique, quòd ita meritum de se videret, morem statuit gerere. Decretâ legatione, datur negotium ephebulo cælesti, qui prænuntius eat; & Juveni, valuisse preces, quibus cælum importunis fatigârit, significet: simulque quando, & quibus conditionibus in conspectum ventura sit Virgo, ostendat. Accingitur itineri nuntius, & quo decuit ornatu ad Virginis clientem descendit. Fortè Adolescens etiamtum de genibus supplicabat: cùm videt ex adverso subeuntem hunc alitem legatum, cujus

Aurea velabant generosum vellera pectus,
Fluxerat ad niveos serica palla pedes:
Cæsaries radiis, vertex erat æmulus astris,
Inq; oculis Lunæ flamma duobus erat.

Obstupuit visu, & insolitâ oris honestate perculsus, quid inciperet Adolescens, aliquamdiu nesciebat. Quid ni enim istud in

cæ'ite

cælite tam radiato? Nimirum, ex famulo pronum erat conjicere, quis Imperatricis ipsius habitus, quæ formæ dignitas, quantusque splendor esset.

40 CETERUM ubi se animus denique collegit, etsi vehementer hominem etiam is ejusmodi aspectus tenuit, implere tamen desiderantis expectationẽ adeò non potuit, ut in querelas effusus, cum cæli parsimoniâ liber expostularit. Aliud certè se suis tam ardentibus votis à cælo contendisse, aliud modò concessum videre. Illam cernere unam optasse, quæ cæli terræque potita, lunam pedibus substernere, lateraq; ambire radiis consuesset. Nec dum sensus ita sibi omnes hebescere, ut imponi oculis tam facilè sinat; quantisque intervallis à Cælitum Reginâ cælites alii distent, penitus ignoret. Quas quidem querelas non eò spectare, quò fastidire se nuntii cælestis pulcherrimos vultus ostendat (quæ enim censura supercilium tam arrogans non damnaret?) sed quò doceat, in cælo quoque delectum sese habere; & ignavæ eum indolis esse, qui ex tanto deliciarum divitiarumque emporio, si optio permittatur, mediocria nundinari, quàm optima sortiri malit.

41 VE-

41 VERVM his adeò querelis opus non fuisse, brevi pòst ipsa res aperuit. Nam commodùm iste, quem diximus, Virginis minister in loco substiterat, cùm Adolescenti, quem qualemque ab exoratâ Præside nuntium afferret, gratulans exponit. Auditas esse in cælo preces; & quicquid avidissimè petiisset, id impetratum abundè concessumque ad assem esse. Videret modò ipse, quanto id bono suo petiisset. Nam velle omninò Virginem ei dare se videndam; quâ quidē conspectâ, propemodum omnis seu optandi curiositas, seu videndi voluptas, seu retinendi cupiditas possit exsatiari. Sed caro tamen hunc ei staturum Virginis adspectum: eà propter deliberaret secum ipse, quantas quasque profundere opes eam in rem placeret, ne, audito pòst impendii sumptu, sera voti pœnitudo sequeretur. At Adolescens injuriam ratus si deliberaret, audacter instat, jubetque hoc metu nuntium supersedere, & pretium, quantum id cunque esset, edicere. Nam mercem mihi hanc, inquit, vel regni, si quod sit, jacturâ prodigus emam. Indica tu pretium, & vendidisti.

42 QVIS in Adolescente tenero hanc animi vocisque magnitudinem non admiretur?

miretur? In discrimen hîc ei totum patrimonium devenerat; senseratque se & corporis vigor, & ingenii acumen, & voluptas, quamvis honesta, jam periclitari; quippe abdicanda confestim, & ex pacto, si poscerentur, amittenda: nec tamen animum hæc horum jactura perturbabat. Interim, quò exploratiùs ea virtus constaret, rejicit ambages nuntius, hominique palàm, quid eventurum sit, prædicit. Velle quidē indulgere se oculis mortalibus immortalem Virginem, sed eâ tamen lege, ut oculi ab eo deinde aspectu mortale penitus nihil intueantur. Nec enim æquum videri, ut oculus semel ad tam sublime cæli spectaculum admissus, postliminium habeat ad terræ cœnique sordes contemplandas, quarum obtutu inquinetur. Igitur, Quos tu oculos, inquit, in Virginis ore semel defiges, iis captum illicò te, simul illa recesserit, senties: ita quidem, ut exinde cæcus, nullam lucis usuram sis habiturus. Hoc tu dispendio si neque dum etiam moveris, macte animi Adolescens, die crastini feliciter simul & votis te Virgo damnabit, & oculos tu tuos in adspectâ dilectaque Virgine funerabis. Dixit hæc aliger ephebus; nec expectato hominis responso,

ſponſo, ex oculis receſſit.

43 FVLMINATAM hoc edicto ſuā conſtantiam ſenſit Adoleſcens: Quem enim vos magnificè loquentem, & cum cælo, quod ajunt, Attalicis conditionibus paciſcentem, ſuprà audiiſtis: ille (quis noſtrûm crederet?) cùm diſerte, quanto impendio ſtaturum ſibi votum eſſet, è nuntio reſciiſſet, cœpit anxiè mala futuræ cæcitatis, longæque noctis caligines, ſecum reputare. Et quid occipies tunc miſer? aut quò te cæcus deinde convertes? nempe ut brevis quædam oculis voluptas obtingat, oculis æternùm carebis? Aut gratius te facturum Virgini credis, ſi nobilem ſenſum, quo uti quondam ad Dominæ obſequia etiam ſenex poſſes, in hac juventâ præmaturè extinguas? Reſerva, quoad ſine ſcelere potes. Erit olim ut fortaſſe tu non poſſis, quando te hos oculos aut fides jubebit fodiendos tyranno dedere, aut alia neceſſitas coget pro civibus patriaque impendere: tum enimverò tu liberaliter, quicquid ſanguinis animæque ſuperabit, cum oculis profundes: nunc dum retinendi parcendique libertas eſt, quid, intempeſtivè prodigus, amittis?

44 DVM hæc apud animum ſuum perplexus

plexus aſſiduè volutabat, oculorumque jacturâ hactenus terreri ſe ſentiebat, ut amor tamen aſpiciendæ Virginis nihilo minùs perſeveraret, incidit ex improviſo conſilium, quo uno Juvenis ſimul & ſuum impleri deſiderium, & vitari cæcitatem credebat poſſe. Adeon' ergo tu, inquit, incogitans es, ut oculos te duos habere non recorderis? aut eos tibi ambos æquè neceſſarios arbitrare, quibus Virginem exſpectatam contempleris? Utrovis imò, & alterutro potes: quid utriuſque tu cladem de nihilo formidas? Age ſis ergo, manuque objectâ lumẽ ſiniſtrum occlude; dextrum verò ſimul & ſpectaculo impende, & periculo, quodcunque eſt, audacter committe: honeſtius hoc illi funus erit, quàm alteri ſua ſalus & vita. Deliberari jam porrò non debet. Inventa tibi eſt via, quâ neque à Virginis adſpectu excludare, neque lucis hujus ſoliſque uſurâ ſpoliere.

45 PLACVIT in hoc ſibi commento Adoleſcens, nunquam æquè ac modò ingenioſus. Jamque intereà momentũ ſuberat, ut virginum Virgo pulcherrimo cum comitatu intuendam ſe juveni ſiſteret. Venit: &, ô formæ formam elegantem! ô frontis ſerenæ! ô oris ambroſii! ô lineamento-

mentorum omnium venuſtatem ! Quid hîc calami rudes , quid infantes linguæ, quid verba imparia nequicquam laboratis ? Succumbe omnis oratio , palamque confitere , hîc neque Apelli penicillum, neque Praxiteli cælum, neque Demoſtheni colorē ſufficere; ac tibi præſertim omnia deeſſe, quibus umbra pulchritudinis hujus poſſit adumbrari. Certè autem, ſimul huc Adoleſcens deſtinatam aciem convertit,

Omnia ſunt uno ſidera viſa loco:
Lunaq; ſe lunam, ſolem ſol eſſe negavit:
Virginis os oculo lunaque ſolque fuit.

Potuere quidem & comites ephebuli, & quotquot Gabrieles cum Virgine aderant, non adeò deformes putari, quin ad eoſdem oculus Adoleſcentis ex intervallo diverteret : ſed hi omnes dedere veniam, etiam neglecti & contempti : in unâ enim Virgine contemplandâ fixus & occupatus, non habuit cauſſas oculus felix, cur in ſtellulæ ſcintillâ quæreret, quod ubertim ipſi Solis radii miniſtrabant.

46 VERVM enimuerò, ut magnam, ac prope dixerim immenſam ab eo conſpectu voluptatem hauſerit Adoleſcens , longam tamen eam ac diuturnam capere haud potuit perinde. Nam objectæ lucis, qualem

antè

antè non viderat, impatiens, visum omnem illicò sic hebetavit, ut offusis repentè tenebris, nullum oculi illius usum deinde reservarit. Quòd ipse tamen, cùm oraculi fidem evenisse jam sentiret, tantum abfuit ut lacrimis hanc oculi unius jacturam prosecutus, miserum se infelicemque clamitarit, quem voti damnosi temeritas præceps fefellisset; ut ter potiùs quaterque miserabilem se crediderit, quòd formæ cælestissimæ alterum duntaxat lumen præparcè avareque admovisset; & alteri oculo, dum timidè nimis stulteque pepercerit, famam gloriosissimi funeris invidisset. Atque oculum, inquit, ô jam denique dignum, qui nihil posthac videas, postquam videre hanc cæli faventis elegantiam noluisti! Nempe ut putidum terræ cœnum spectare triduo, fecesque has pedibus calcatas inspicere adhuc posses; tu ad hos lunæ solisque radios erigere te attollereque detrectasti? Dabis ipse tu pœnas tibi; & socio feliciter jam tumulato, ad hoc solùm vives, ut semper semperque lacrimeris.

47 TVM tu autem, virginum Virgo pulcherrima, ab hoc oculo tam stolidè stulteque cauto, quin pœnas irata sumere festinas? Expectat jam ultrò, seque reus ad

dandum ſupplicium, quod meretur, accingit. Nam occæcari & exſtingui, hoc ipſo quòd noluit, debebit. Debebit inferias has gemello ſuo, ut ſuo illi occaſu parentet; & quem comitari generosâ morte noluerat, eum ſubſequi ſaltem & imitari jam denique addiſcat. Nec verò tibi operoſum fuerit, hac illum parte vindicare. Exhibe te duntaxat illi, lucemque tuam offunde, & continuò excæcaſti. O ſupplicium mihi optabile! ô necem oculi beatam, quam exſtincto invidere omnes ſuperſtites poſſint! Irata videbere, ſi diſtuleris punire. Clementiam Virginis exacta ſupplicia comprobabunt. Neque metue verò, ne rurſus ignavâ manu ſcutum oculo ſuperſtiti obtendam. Ipſe ego palpebras illi, ſi etiam renuat, diducam: ipſe, ut venienti ſideri inconnivens occurrat, impellam: ipſe demum, ſi Argus adeò, hoc eſt, oculeus totus ſim, unum ex tot oculis meis reliquum mihi non faciam, ſed omnes ſpectaculo tam amœno prodigus impendam, lubenſque

Perdam lumina mille, deinde centum
Perdam millia, dein ſecunda centum,
Deinde uſque altera mille, deinde centum,
Dein poſt millia multa, multa rurſus

Optem

Optem millia luminum, in cupito
Visa perdere Virginis theatro.

48 SECUNDUM has querelas, alteraque Adolescentis vota, quid evenerit, audite, Sodales, & rem novam in Virgine nostrâ plenam suavitatis agnoscite. Ea enim cum hæc Adolescentis postulata non immeritò posset aspernari, oculoque jam altero visi, nullam dehinc sui videndæ copiam facere; nihilo tamen minùs, ut si lege teneretur ad bene ei faciendum reversa: se verò cùm primis redituram, atque oculo etiam alteri delicias facturam, humaniter promisit. Jam proinde pruriebat in scenam oculus superstes: & volens libensque ad suas ipse inferias intentus, alterum Virginis adventum expectabat: cùm, ecce tibi, iteratò illa, & jam seipsâ (quis credat?) formosior illustriorque prodiit; diceres, pyropis undique & smaragdis & adamantibus coopertam, siderum omnium splendorem exstinxisse. O conspectum admirabilem! ô frontem iterùm! ô speciem! ô formam denuò elegantem! Quis colores de cælo mihi præstet? quis artem commodet? quis penicillum manumque ducat, ad os habitumque Virginis informandum? Nam ut nihil de reliquo corporis ornatu dicamus,

ipsæ adeò vestes, & vestium tot uniones ac gemmæ, omnibus locis intertextæ, vel solæ retundere suâ luce superstitem oculùm, eique diem & vitam eripere omnem potuissent. Quod quidem uti fieret, oculus ex conventis pactisque præstolabatur. Sed non æquè & Virgo propositi tenax fuit, ut in alumnum jure suo rursus duceret utendum, alteroque, ut meritum ejus erat, oculo multaret. Quid enim? adeóne triste sidus & grave sim ego, ut aspici sine noxiâ non queam? Adspiciat imò, sentiatque non modò superstitem oculum hac luce meâ non obtundi, sed alteri quoque jam antè exstincto lumen suum vitamque postliminio reddi.

49 DATE veniam hîc mihi, Sodales, si in hac Adolescentis fortunâ contineo me, ut nondum exclamem. Juvat enim, si usquam aliàs, hîc certe obmutescere. Refugit linguæ officium lingua, hæretque hebes omnis oratio. Solæ aures nimirum vigent, & inter hæc Virginis spectacula, quid Adolescens iteratò beatus agat, dicatque, curiosè auscultant. Quamquam ne ipse quidem aliud jam potest, quam ut magnitudine miraculi sui oppressus, unà nobiscum feliciter obmutescere se dicat.

V. B.VIR-

V.

B. VIRGO, Adoleſcentis apud Filium patrona.

Ex Relatione Ioannis Salleri.

50 MVLTA quidem majorũ & illuſtria exſtant documenta, quæ animos nobis non mediocres faciunt; ut erecti, in ſpem veniamus, fieri nunquam poſſe, ut clientes in magnæ Virginis fidem tutelamque recepti, de capite ſaluteque ſic periclitentur, quin ejuſdem auſpiciis & auxiliis denique reſpirent, inque tuto iterùm collocentur. Hæc tamen ipſa, ſi omiſſis veterum hiſtoriis (quibus plena ſunt librorum monimenta) unico probiſſimæ notæ exemplo aggrediar confirmare, erit, opinor, conſilium meum nec à temporis hujus locique rationibus alienum; nec vobis, Sodales, quorum omnium vel maximè intereſt, injucundum.

51 APVD Ubios, Rheni veteres nobileſque accolas, Adoleſcens erat, loco natus, ut ajunt, perhoneſto, & parentibus apprimè copioſis; à quibus infans ad omnem

vitæ honestatem, morumque elegantiam formatus, institit ipse dein animum ad litteras mansuetiores applicare. Eà fini Coloniam petiit Agrippinam, celebrem Musarum sedem, bonisque studiis & jam olim inclytam, & novâ gloriâ tum insuper florentẽ. Nec erubuit suum locus alumnum; sed brevi tot ejus præclara specimina vidit, ut in illo cùm indolis bonæ præstantiam, tum ingenii felicis copiam, & maturæ virtutis uberem proventum sæpè suspexerit, magnoque opere commendarit. Eminebat è reliquarum virtutum gloriâ, luculentus erga Virginẽ hanc nostram cultus & amor; qui cetera ejus ornamenta, quanquam seipsis conspicua, unus tamen facilè omnia, ceu major illustriorque, obruebat. Nullus ibi æqualium, qui Adolescentem piis erga superos obsequiis vinceret: pauci, qui propiùs concertare; multi tamen, qui imitari præeuntem, & ducta per eum lineamenta, suis in se coloribus exprimere laborarent. Trahunt enim socios exemplã; atque id, quod, an fieri possit, ambigitur, non fieri solùm posse, sed & factum jam esse ostendunt.

52 Nec tamen extulit hæc Adolescentem, quâ valere apud suos se sentiebat, existi-

existimatio; sed, quod ipsum modestiæ præclarum argumentum est, ad majora melioraque studia quotidie incitabat, ut adeò clientem se instrenuum desidemque crederet, ni melior seipso, Virginique in dies familiarior redderetur: eam unam sibi fieri injuriam arbitratus, si officium clientis adversus patronam argueretur omisisse. In hac morum optimorum virtutumque palæstrâ etiam istud observatè retinebat, ut pro eo ac leges domesticæ sanciebant, diurni nocturnique temporis rationes à se ipse gnavè severeque reposceret, &, ut quidque conturbasset, id per, exomologeses, octavâ quaque luce, identidem cum lacrimis expiaret.

53 ACCIDIT fortè, ut in eâ consuetudine, cùm ad Sacerdotis pedes abjectus, animum noxiis probè exsoluisset, ad aram inde rectà contenderet; & ex more in lacrimas effusus, Virgini patronæ impensiùs ibi supplicaret. Impositum aræ pulcherrimum Virginis signum erat, & in virgineo sinu Christi puerculi sigillũ, arte auroque, ut mos est, fabrè concinneque laboratum: quæ Adolescenti caussa fuerat, cur precaturus illuc plerumque libentiùs, quam aliò quoquam, se conferret. Hic inter preces

aliquantò vehementiùs exarſerat, Matremque, ut filio ſe ſuo commendaret, anxiè prolixeque obſecrat: cùm interim oculis in aram ſublatis, videt inſperatò rem dictu audituque terrificam, plenam ominis & conſternationis. Etenim unde amoris argumenta ſolatiaque ſibi popoſcerat, ibi adverſa, infeſta, funeſta, miſer omnia conſpicatur. Videt, Pueri placidiſſimi frontem repentè in rugas coire, videt ſerenos olim oculos ignis in modum candeſcere, videt ora vultuſque torvùm abnuere, videt Pueri ſigillum (quid enim ipſe me differo?) circumactâ cervice, faciem ab Adoleſcentis adſpectu avertere; & utique néc aures jam precibus accommodare, qui oculos impendere precanti recuſaſſet.

54 QVID homini in hoc tam prodigioſo ſpectaculo fuiſſe animi vos putatis? Nempe quod quiſque noſtrûm continuò faceremus, ſi cælum Deumque iratum incumbere, ſi non fulmina, ſed tartara minitari conſpiceremus: id facilè & illum in hoc ominoſo conſpectu feciſſe conjicimus. Credam ego totius oris colorem evanuiſſe, & infuſo gelu cæpiſſe ſanguinem conſiſtere, rigeſcere artus, compaveſcere

fcero pectus; ſenſus, vires, animum defluere; & ſi quid his triſtius natura ſolet in terrore tragico oſtentare. Quid ſi etiam ab inſolenti portento amens reſiliit? Quid ſi metu exanimis humi concidit? Certè autem vel perterritus, illicò exclamavit, vel attonitus ipſum ad querelas ſenſum vocemque amiſit. Potuit enim hæc omnia tunc infelix; atque ut adeò poſſet, materies ei gravis ac multa ſuppetebat. Quanquam hæc eum omnia factitaſſe non pertendo: quin potius eſt, ut putem, ſtrangulatum intra ſe dolorem fuiſſe, cùm nuſquam eſſet, quâ parte totus in libertatem erumperet.

55 INTERIM in hac animi tempeſtate, cùm Adoleſcens ab ipſo portu, quem in Virginis patrocinio quæſierat, rejici ſe videret; proximum habuit, infelix, ut rectà ad Sacerdotem regreſſus, ſuas ei querelas oculis humentibus deponeret: & miſerum utique ſe deploratumque ingeminaret, quem Cælitum hominumque favores averſari; à quo, velut à peſtilentiæ contagio, omnes refugere, quemque Numen ipſum oculis atrocibus, & vultu ſtomachante, & fulminante ſupercilio degenerem projicere, abdicare, condemnare videretur.

deretur. Quid reliquum sibi fieri, quàm ut ætatem æternitatemque infelix mœreret, qui mitissimæ Virginis suavissimæ proli odio contemptuiq; jam esset? Re deinde omni, ut erat, cum lacrimis explicatâ, quid capiendum consilii, quamque opem implorandam sibi suaderet, expectat.

56 PERTVRBATVS hoc quidem infortunio Sacerdos, quid adeò responderet, vix inveniebat: tamen, quòd indolem hominis innocentiamque sibi crederet esse exploratam, jubet, quicquid id ominis foret; mactè animo esse; & secum, ecquid facinoris olim noxięque abstrusum ferret, seriò cogitare; nam eò fortassis hæc rerum prodigia spectare Verùm Adolescente, inspectis omnibus animi latebris, & nullius labis celatæ conscium se professo, cœpit non abs re suspicari, aliorsùm hæc aversæ imaginis indicia tendere: & indagari reliquum ex ipsâ Virgine debere. Monet igitur, ut eòdem, unde venisset, opportunè redeat, iterumque Virgini cum instauratis precibus supplex fiat: pertexeret ipsa telam quam cœpisset, sibique bono infaustum ænigmatis omen, vel propitia tolleret, vel exorata planiùs apertiusque declararet. Paret impigrè Adolescens monenti;

nenti; cujus nunquam, ne aliâ quidem in re, imperium detrectarat. Trepidè ad aram recurrit; nuper amabilem sibi, & suavitatis ac solatii compertam, nunc horroris & consternationis plenam. Ibi miser ad misericordiæ tribunal prosternitur, & quâ summâ contentione potest, veterem Patronæ clementiam adoritur; certus, nulli eam fuisse unquam inexorabilem, ac proinde nec sibi uni difficilem fore, quæ omnibus aliis mitem se facilemq; præbuisset.

57. In hanc sententiam dum perorat, miscet optimos eloquentiæ colores, lacrimas, quibus solis noverat in eo foro caussas apposite in primis apteque perorari. Verba amplificat gemitibus, exaggerat suspiriis, iterat singultibus, desideriis exornat. Denique cum hæc omnis dicendi copia sese in exorandam flectendamque Virginē effudisset, voxque suprema Adolescentis in hoc epiphonema desineret, percontantis, ecquid illud foret, quod in cliente abdicato aut Mater adeò horreret, aut filius odio implacabili refugeret: tum, ecce, novum aræ majusque prodigium! Statua Virginis paullatim animari, reserari imaginis ora; formari, pronuntiari, audiri loquentis & increpantis verba. Verba tri-

ſtia, feralia, funeſta! verba, qualia nobis olim ne ſint audienda, Superi boni! ſatius ſit, mortem, quamvis tragicam barbaramque, oppetere. Quæ tamen hæc tandem, & qualia verba? auſcultemus.

58 NAM ſi faceſſere ab arâ ſupplicem, temploque excedere Virgo juſſiſſet; ſi hominum conſpectus & ora vitare, ſi vota preceſque omittere, diſſimulandum ſibi dolorem, & ferendum utcunque convitium putaſſet: ſi etiam in ultimos terræ angulos aliquò refugere, ibique aut oculos fletu conficere, aut corpus inediâ vexare, & potu ſibi victuque interdicere; accipiendam & hanc fortaſſe conditionem, patienter, cenſuiſſet. Ut verò à Virgine totus abeſſe, ut à filii conſpectu abſcedere, ad neutrius amores favoreſque adſpirare porrò juberetur, id enimverò nemo, quamquã ferreus ſit, vel audire æquo animo, vel diſſimulare patienti ſilentio ſuſtineret. Et audiit tamen hoc infelix: audiit, inquam, cauſſæ genus atrox & lamentabile, cur ſuum ab illo vultum animumque ſuaviſſimus infans alienarit: cauſſam profectò, ut Adoleſcenti novam & inexpectatam, ſic ipſi etiam Virgini gravem & odioſam. Quid enim, inquit, Adoleſcens

leſcens incautè, quid hactenus miraris, quodque venire te filius in ſuum ſibi conſpectum nolit, conquereris? Temetipſe tu reum perage, ut qui teſſerâ ſignoque legitimo deſtitutus, huc viam audax affectes. Chriſtianum prius inſigne tu indue, quàm hic ullas clientum meorum prærogativas exſpectes. Nam quoad ſymbolo ſignoque filii mei carebis, tu notorem habere filium non potes.

59 Hoc elocuta Virginis effigies, obmutuit, novoque Adoleſcentem fulmine, non tam afflatum ibi, quàm exanimatum, reliquit; quippe qui perplexus eò magis anxiuſque jam ſtupebat, quò minus, ecquod ſuum in ſe ſignum Puerulus requireret, intelligebat. Certè enim, ſive fides & religio familiam ejus inſignit, ego me domeſticum & familiarem, audientibus tyrannis, confitebor: ſive amor clientulos diſtinguit; ego nemini in hac teſſerâ concedam: capiat experimenta quæ volet, jubeatque, ſive cum Stephano ſaxorú grandini caput ſubjicere, lapidabor; ſive cum Laurentio ſuper ſartagines & prunas incumbere, ardebo; ſive aliud malit, nullum ego clientis ſymbolum detrecto; dummodò quid ille ſigni deſideret, palam aperteque

teque edicat. Igitur anceps, obſcuram oraculi vocem ad eundem interpretem refert, cum quo cetera animi arcana jam antè communicarat. Atqui is, ubi de Chriſti ſigno accepit, quod eſſe impreſſum adoleſcenti Virgo pernegaſſet, haud de nihilo conjectans, hominē ſuſpicatur ſacro fonte nondum eſſe legitimè luſtratum. Quamobrem animo conſtare, & benè de cetero ſperare juſſum, ſciſcitatur, ecquo tandem indicio compertum habeat, undis olim ſalutaribus fuiſſe initiatum. Adoleſcens, quæ viſum eſt, reſpondet. Negat, ſeſe argumentum, cur eâ in re dubitet, ullum videre, ut qui inter Chriſtianos parentibus optimis natum ſe meminiſſet, quos utique officio non defuiſſe, quin filio, in ſummâ re, cùm per ætatem ipſe ſibi non poſſet, conſultum irent. Injurium ſe adverſus progenitores futurum; ſi de hac illorum voluntate induſtriaque duceret ambigendum.

60 PERSTAT nihilo minùs in propoſito Sacerdos, ut hominem fonte piaculari ablutum fuiſſe inficietur: id enim & Chriſti, & alumni Chriſtiani princeps ſymbolum atque inſigne videri. Ad hæc, fieri facilè potuiſſe, ut aut parentum ſtudia, aut nutricularū officia, aut familiæ obſequia, tempo-

temporum injuriis circumſcripta, non perinde ac oportuit advigilarint; ſed humanum aliquid paſſa, per ignorationem offenderint. Et credin' tu inanes has mutarum imaginum voces & minas fuiſſe? Incumbendum ſcilicet operi eſt, & ratione, quàm ſollertiſſimâ poteſt, naviter ad primos infantiæ natales recurrendum, indeque latentis mali ſcaturigines petendæ. Sunt domi tuæ notores adhuc ſuperſtites; & ut parentes in vivis eſſe deſierint, erunt obſtetrices certè, aut nutrix aliqua, & gerula anus reſtabit, ex quâ verum vel precariò cognoſci, vel pretio exſculpi poſſit. Bonis igitur auſpiciis ad patriam nullâ interpoſitâ morâ contendes; ubi cùm rem omnem, ut geſta eſt, perveſtigabis, hoc, quicquid prodigii fuit, non tetrum tibi adverſúmque omen, ſed lætum ſcias ſalutis initium fuiſſe; magnæ Virginis faventiâ clementiaque præmonſtratum.

61 QVID denuò multis hîc ego vos ſuſpendo? Non petendi audiendique conſilii, quàm exſequẽdi, avidior Adoleſcens, animum inducit, rei cognoſcendæ, ad patriam, tametſi longinquam, illicò reviſere. Accingitur ad iter, ingreditur, incertum, ſpei propior an timori. Denique quò ire inſti-

inſtituerat, pervenit. Ibi felicibus indiciis anum reperit, ſuperſtitem adhuc, illam ipſam quæ ſe nutricem ejus fuiſſe & ferret, & (nondum gnara quæ res ageretur) liquidò teſtibus probaret. Eam ille, quà licuit, de turbâ ſeductam, blandè primum amanterque, mox compreſsè violentis precibus adoritur, per ſuavem alumni lactiſque impenſi memoriam obteſtatus, atque inſuper patrimonii ſui (quod parentibus jam functis haud contemnendum aderat) ſemiſſem pollicitus; ſi quid, ſe factum, ab ipſo ſtatim partu, meminiſſet, dolo nullo, quàm veriſſimè planiſſimeque recenſeret. Mentienti aut diſſimulanti, nullum à ſe neque pretium, nec præmium poni: candidè, quicquid foret, confitenti, ſumma omnia reſervari. Eam in rem pignori opponit fidem, Deumque & ſidera teſtes.

62 FEMINA & ſuopte ingenio minimè mala, & monſtrato auri hamo magis illecta, facilè ad omnem rei ſeriem ab ovo renarrandam adducitur: & quando ſtatuere ſecum non potuit, utram in partem mendacio ſuo proficeret, officerétve, maluit rem fide ordineque, ut evenerat, commemorare. Matri ſe adfuiſſe parturienti, ſuiſque ipſum, ut primulùm editus infans fuerit,

rit, manibus ſuſtuliſſe, quæque alia ex uſu fuerint, feciſſe: poſtremò, (quòd ea tunc temporum injuria eſſet, ut urbs omnis Anabaptiſtarum furore non clanculò infecta, ſed per vim apertam obſeſſa, nihil liberum neque immune Catholicis, ad ſacra patria palàm obeunda relinqueret) parvulum ſuâ ſe manu clàm domi aquis luſtricis abluiſſe; ne, ſi quid humani per moram accideret, puer æternitatem infelix eſſet. Ita ſe & piæ matris voluntati, & prolis ſaluti conſultum iiſſe. Exhilaratus narrationis candore Adoleſcens, cùm intelligeret orationi fucum dolumq; abeſſe, collaudat feminæ ſtudium: eaque propter tantum illi ſe debere confeſſus, quantum adhuc nemo alumnus ſuæ nutrici debuiſſet: inſtat callidè, ecquo autem ritu, quo liquore ſuperfuſo, quibus verbis, & in quam formulam conceptis, rem ſaluberrimam peregerit, ſciſcitari. Illa, quo quidque modo perfecerit, eâdem ſimplicitate, geſtiens recenſet: E ſacris legitimis nihil à ſe prætermiſſum eſſe. Nam aquâ ter ſuper infusâ, caput reſperſiſſe; ter preces ſalutares, ac patrium neſcio quod carmen ter pronuntiaſſe, quo puerum Deo Deiq; Matri conſecrarit. Tantum eſſe, quod factum

ctum meminisset. Inde infantem, cæli securum, ad cunas retulisse; eique se, quoad ætas poposcerit, lac pultesque ministrasse.

63 AVDITA rei gestæ historiâ, facile habuit intelligere Adolescens, ita se quidem ab anu sedulâ procuratum fuisse, ut verbo tenus in Christi Virginisque nomen adoptatus, re tamen verâ ad Baptisma Christianum non pervenerit. Quare ut ea cognitio quemvis alium prosternere potuisset, ita hanc generosæ mentis indolem, diuturno mœrore jam antè haustam absorptamque, feliciter in pedes, magnique eventûs exspectationem erexit. Pòst enim quàm adeò comperta testataque omnia vidit, ut dubium nemini jam esset, quin aniculæ confessio cum Virginis oraculo planissimè consentiret; & Baptisma legitimum, quod in puero neglectum per inscitiam fuerat, jam demum Adolescenti instaurandum esse: rebus omnibus domi, quò per tempus licuit, compositis; actisq; indici, quas pactus fuerat, gratiis, postliminio Coloniam revertitur, æquè gaudii nunc immodicus, ac paullò antè mœroris. Ibi de felicibus eventis nuntiat, quæ ipse ei Sacerdos, haud vanâ conjecturâ vaticinans, prædixerat. Ex eo crebrescere fama,

&

& ad plures differri; paucis diebus demum undique magno numero concurrere, & Adolescentem frequentes circumstare, reique seriem, ut cuique propior ille notiorque erat, perquirere. Eum unum Virgini parenti in primis utique curis fuisse, quem prodigio tam insolenti non dejecerit illa aut abdicarit, sed erexerit verè atq; adoptarit. Periturum fuisse, ni tali fuisset ostento consternatus.

64 ABEVNT secundùm hæc dies complusculi, dum & loci Antistes ritè consulitur, & Baptisma solenne, quæque alia ad pompam opus erant, adornantur. Quo toto tempore quos illum intra sese æstus, & quantos credibile est amoris ignes persensisse? Cùm enim ad salutiferum fontem candidatus proximè duceretur, cùm tingi jam abluique cælestibus undis inciperet, cùm Christiano tandem insigni vestiri se, jamque non illo anili nutricis carmine initiari, sed in Patris Filiique & Spiritûs æterni nomen auctorari ritu legitimo videret; quos, inquam, animi motus, quæ gaudii exuberantis incendia, tum ille censendus est habuisse? Tum utique redire in suam sibi infantiam, tum primævam innocentiam repetere, tum abolere universam &

culpæ

culpæ fuliginem, & pœnæ formidinem deponere videbat licere. Quoties per eos dies ad aræ ſuæ pegma recurrere? quoties ibidem, jam lætior, in genua procumbere? quoties Puerulo cæleſti, jam nihil, ut olim, abnuenti, ſupplex fieri perſeveravit? Quas ibidem Virgini matri gratias, quamque crebras, quamque impenſas, putandus eſt ideò ſolviſſe, quòd quem clientem filius infans rejecerat, matris clementia conſervarit? Neque in hoc conquievit æſtuans animus; ſed ſemel his cæli favoribus occupatus, exarſit (ô factū ſapienter!) illicò & alterum patrimonii ſemiſſem relinquere; abdicatiſque opibus, illices voluptatum cupidines excutere, tum etiam mendaces honorum titulos, quibus invitari ſe ſenſerat, æternùm abolere, & ad ſervitutem Deo ſerviendam, in religioſi nominis familiam, gratulante cælo, concedere.

65 TANTI nimirum fuit, Sodales, in Virginis noſtræ clientelâ vitam ſemel inſtituiſſe, tanti Marianum inſigne circumtuliſſe: ut, quanquam filii teſſerâ ſignoque deſtitutus, per matris tamen ſymbolum immunis defenſuſque ſervaretur. Quo uno argumento, ſi ullo antehac alio, comprobatum

batum id esse videtis, quod olim ac sæpè quidem à majoribus nostris audieramus, & in hoc demum Adolescente nostris propè oculis intueri cœpimus, posse capite vitaque periclitari multos, jactari quoque & fluctuare non paucos, sed interire mergique nullos, quos patrocinio suo Virgo tuendos fovendosque suscepisset. Ut vos ego proinde, qui præsidem hanc præstitemque vobis sapienter optastis, benè jubeam de salute non immeritò sperare. Nam (liceat hîc mihi cum bonâ Numinis veniâ liberius quiddam gloriari) sive Patris irati fulmina desuper incidant, sive Filii offensi tela capiti ingruant, sive Cælites unà omnes adversi infestique minari insistant; si boni clientes alumnique vos estis, adversus hos omnes scutum impenetrabile, in hac magnæ Virginis, magnæ Matris, magnæ patronæ, tutelâ vobis invenistis.


DELICIARVM

LIBER TERTIVS.

I.

PATRIÆ cælestis voluptates.

Ex Isaiâ cap. 64. v. 4. & 5. Paulo 1. Corinth. cap. 2. v. 9.

1 
VI Christum ab inferis, vi virtuteq́ue expugnatis, reducem, hodiernâ luce de mortis imperio triumphare conspicimus, Sodales, multas habemus gravesq́ue caussas, cur è luctu pristino ad amissa pridem pæneq́ue desperata gaudia revertamur. Quarum ego caussarum dum unicam haud prolixè recenseo, quæso vos, obtestorque, eam hîc unam ita nunc audire sustineatis, ut reliquas tamen vobiscum ipsi tacitè, me etiam nihil suggerente, cogitetis.

2 MAIORES nostri, cùm olim de victis hostibus triumphos agerent, consueverunt urbium ferè regnorumq́ue imagines præferre,

præferre, è quibus amplitudinem eorum pulchritudinemque cives conjicerent, opumque bello partarum magnitudinem in picturæ compendio mirarentur. Sed eo nimirum persæpe fiebat, ut vastissimæ quæque provinciæ, regnaque immensa, brevibus tabellis inclusa, se ipsa vix agnoscerent, deque spatii angustiis & penicilli injuriis haud immeritò quererētur. Talem hodieque & nos urbis cujusdam expugnatæ tabellam videmus, qui in redivivi Servatoris triumpho, formam immortalitatis, vitæque cælestis imaginem, etsi nondum suis planè coloribus illustratam, lineamentis tamen quibusdam velut adumbratam, conspicamur. Diu mortalibus illa se regia negarat, magnis sæpe machinis, admotoque ariete verberata, vim omnem contumax retuderat, ingenium eluserat, conatum fatigarat: nunc tandem felici strategemate in potestatem venit; &, quò vix animos antehac licuerat adjicere, illuc jam oculos attollere, manusque injicere, illic & pedem sistere, & sedem figere palam universi jubemur.

3 O diem proinde mortalibus memoriâ cultuque perenni venerandum! diem diebus omnibus omnibusque annis anteferendum!

ferendum! ſine quo fuiſſet, capti vinctiq; conſeneſcere in tenebris, & preſſi ſervitute miſerrimâ, longùm mœrere, pallere, ſquallere cogeremur: at nunc in libertatem gratuitò aſſerti, ad ampliſſimas regni fortunas, mirabili felicitate ſimul omnes invitamur. Quod equidem regnum, ſi, quale quantumque eſt, coràm adſpicere, cunctamque ejus amænitatẽ oculis ſubjicere concederetur; profectò intelligeremus, in quantæ beatitatis poſſeſſionem jam eſſemus reſtituti. Ceterùm quando nondum hoc, in præſentiâ quidem, valemus; id certè, quod adhuc abſentes è longinquo poſſumus, intereà tentare aggrediamur, ut regni hujus, quod memorabili victoriâ partum accepimus, ſimulachrum elegans tantiſper contemplemur.

4 NAM in eo primùm omnium, vivis coloribus, ſed velut in nebulâ quadam, expreſſam intuebimur cladẽ ſtragemque, cum extremo hoſtium excidio factam; & alibi mortem exarmatam, fractis abjectiſque faſcibus jacere; alibi Stygem ſuperatam procumbere, irritaſque Orci molitiones omnes labare; alibi jugulatam Orbis ſuperbiam exſpirare, & longè lateque hoſtile agmen, aut ruere, aut fugere.

Superi

Superi boni! in quantulâ picturâ quantarum rerum molem videmus? Atque hæc tamen nondum ejus regni ſunt propria, quod reſtitutum nobis eſſe gloriamur; ſed ſunt hoſtilis imperii, quod extinctũ everſum exciſumque gratulamur, quædam duntaxat monimenta & trophea. Vultis porrò (& omnes haud dubiè vultis) quale etiam quantumque regnum non diruerit nobis hic dies, ſed ſtabilierit ac fundarit, cognôſſe? Oculos mecum in hanc tabulæ partem, quam peritus olim Timantes de regni archetypo ingenioſiſſimè lucubravit, convertite.

5 Et eapropter, ageſis, inclyte Vatum Iſaia, priorque, cedò, tu tuam, tuque alteram tuam Paulle, aut unam imo potiùs uterque exhibete tabulam, quâ regiam nobis illam regnumque, cruentâ Dei victoriâ comparatum, olim depinxiſtis; date copiam inſpiciundi, tabulæque vos veſtrę, quæ aut muta, aut minùs per ſe diſerta eſt, interpretes boni accedite.

Nam meminiſtis adhuc, & adhuc memorare poteſtis.

Agite, inquam, & nobis, benevoli, quæ adeò ſint illa, & quàm glorioſa, quæ de hac Dei civitate jam antiquitus à vobis

prædicantur, explicate. Illáne vos curis mortalibus ſtudiiſque digna cenſeatis? dignáne oculis noſtris? digna, quæ nos homines præ humanis opibus adamemus? digna, quæ etiam curiosè nobis ambitioſeque expectemus? Avidi dudum, ecquid reſponſuri vos ſitis, præſtolamur. Etenim, ſi quid humile plebejumque afferetis; verebimur, ne multi irritos fuiſſe ſudores ſuos vociferentur, quos plurimos, ob rem non maximam, parvo cum operæ pretio exantlarint. Quanquam nihil eſt cur iſtud vereamur: reſpondiſtis enim vôs ad hæc interrogata jam palàm, regni illius eſſe bona memoraſtis, quæ nullus olim nec oculus viderit, nec auris audierit; quorumque ſimilitudo in cor hominis nulla unquam aſcenderit.

6 Nos verò libentes accipimus veſtram hanc, ô beati, deſcriptionem, quàm verbis tenuem, tam reipsâ uberem & copioſam: in quâ, tanquam parvâ rei maximæ tabellâ, plus affectuum inſit, quàm appareт colorum. Et quantam vobis, Sodales, voluptatis materiam hi duo pictores, in quàm brevi anguſtaque imagine incluſam objecerunt? Examinate oculos univerſi, conſulite aures, ſcrutamini mentes:

quicquid

quicquid iſtæ vel elegans & pulchrum uſquam viderunt, vel ſuave gratumque audierunt, vel admirabile fortunatumque cogitarunt; id omne, quantumcunque eſt, ad regni noſtri delicias divitiaſque nondum attollitur, ac ne comparatur quidem; ſed inter carceris hujus & exilii, vel ſolatia quædam, vel remedia numeratur. Quare, ſi propè ſunt innumerabilia hæc ſenſuum oblectamenta, quibus vita (quid niſi calamitatum ærumnarumque ſedes ac patria!) ceteroquin haud parcè faſcinatur: quam, Chriſte ſancte, quantamque felicitatem arbitrabimur, in illo Cælitum perenni domicilio nobis reſervari?

7 MVLTA ubivis gentium ac terrarum viſuntur illuſtria oculorum ſenſuumque irritamenta; multa magnaque nativæ pulchritudinis miracula; quis neſcit? Alibi ſpectantur nemorum amœniſſima viridaria, & hortulorum gemmantium prata, in quibus paſſim aut roſarũ ardentium purpurà, aut violæ vernantis gratia, aut uvæ liventis vindemia commendatur. Alibi pubeſcentium florum areolæ, aut nives liliorum, æſtimantur. Hîc auri gratiſſimi pallores blandiuntur: ibi argenti divites venæ fodinæque adulantur. Jam & unio-

num candentium pondera, & gemmarum lucentium pretia, & siderum ipsorũ amœna lumina, quid vobis aliud videntur, quàm uberrimæ venustatis voluptatisque argumenta? Et hæc tamen omnia, qualiacunque tandem sint, oculis mortalibus persæpe usurpantur, quotidie sensibus objiciuntur, à miseris improbisque passim lustrantur, habentur, possidentur. At ejus urbis, quâ de nunc agimus, ornamenta, oculi mortales nondum ulli metiuntur; nullius, quamvis perspicax acies, ad ea dispicienda penetrat: ut proinde aliquid ibi nescio quid eximiè elegans & venustum, præut hæ nostræ sunt illecebræ, delitescat.

8 QVAPROPTER agite, felices oculi, aciemque vestram in hoc æternitatis spectaculum reservate: hunc rerum intereuntium, non nitorem, uti vos putatis, sed verum merumque squallorẽ ac pædorem, generosi contemnite: neque fugientibus umbris, soles æternos posthabete. Ibi florum omnium colores, digni quos ametis: ibi pratorum gemmantium amœnitates, & amnium crepidines quas optetis: ibi vallium umbrosa, ibi collium aprica, ibi nemorum opaca, ubi quiescatis: ibi adamantes & pyropi, quorũ pretia æstimetis:
ibi

ibi palatiorum ſeries, & turrium moles, quas ſuſpiciatis. Quid multis? ibi rerum pulcherrimarum ideæ, quibus nullò tædio dejecti perpetuùm inhietis. O loci conditionem planè beatam! ô fortunatos patriæ talis non modò cives, quibus ibi jam vivere quieſcereque contingit, ſed & viatores, quibus illuc tendere, & olim longo pòſt intervallo pervenire continget! Liceat mihi jam nunc oculis illorum hanc felicitatem gratulari, unaque cùm ipſis ad has eorum delicias aſſurgere, atque alios, ut mecum eodem ſtrenuè enitantur, adhortari. Liceat è contrario & illorum mihi cæcitatem miſerari, qui triſtibus edictis proſcripti, dum lacrimis perennibus ſuas ærumnas deplorant, nunquam porrò ad hanc oculorum felicitatem adſpirare permittuntur. Habent illi, Sodales, habent profectò, quod luminibus ſuis irati infeſtique jam exprobrent; quòd, cùm in terris adhuc noſtris degerent, moræ parvæ impatientes, præcipere intempeſtiva gaudia, & brevibus illecebris oculos paſcere maluerunt, quàm eos ad hæc regni patriæque oblectamenta reſervare.

9 VERUM enimverò ut hæc admiranda loci regnique felicitas, oculis ante hunc

diem nullis fuerit uſurpata ; certè tamen an per alios ſenſus explorata fuerit, poſſet dubitari ; niſi iiſdem teſtibus controverſia finiretur, qui tantam ejus ſuavitatem nobis memorarunt, quantam aures hominum nullæ unquam fuerint expertæ. Jam proinde, finge hîc aliquis, modulatas aviũ voces audire te, eæ omnes ad illam ſuavitatem continuò ſordebunt. Puta, nervos chordaſque teſtudinum ſonare; plorabunt. Cogita, liquidi gutturis artiſque muſicam promitti, adeoque illam,

Quâ vel Threjicius Poëta motis
Pantheras rapuit tigreſque ſilvis;
Vel quâ Strimonias ligavit undas,
Et verti refugum coëgit Hebrum;
Vel quâ marmora, Caucaſique tractas
Secum juſſit obambulare rupes:

Huic qualicumque muſicæ ſimul alteram illam tu oppoſueris, ocyùs & Biſthoniam teſtudinem ceſſare, & Leſbiam citharam faceſſere, & pertæſus tacere Amphionis lyram jubebis. Quæ quidem ego ſi promptiùs alicui viderer quàm certiùs affirmare, graviſſimæ rei teſtes alios hîc alioſque excitarem: quos tamen, quando in aliud tempus mihi opportunius reſervo, tantiſper hîc quieturos meâ fide vos arbitrabor.

10 SED erunt hîc veſtrûm aliqui, qui ægrè laturi non ſint, ſi has Cælitum voluptates, iis quidem gaudiis antecellere omnibus contendero, quæ ſive oculorum auriumque officio, ſive ſenſuum noſtrorum miniſterio comparantur: ceterùm, ut nihil à nobis, ne animo quidem prælibari hîc præcipique poſſit, quod illam felicitatis ubertatem repræſentet; in eo fortaſſis non æquè faciles aſſentientur. At iſtis præcluſa jam oraculo noſtro, ne hac elabantur, eſt fuga. Quid enim diſertius effari oraculum potuiſſet, cùm regni illius beatitatem negavit in cor hominis ullius adſcendiſſe? Nonne hoc nobis dicere viſum eſt; Mentis aciem, quantam poteſtis, intendite, animumque indefeſſi ad illas delicias metiendas exercete; nunquam tamen, quoad vivitis, eò vos evadetis, ut ad ejus gaudii magnitudinem cogitando ſitis perventuri. Et quantum eſt tamen id gaudium, quod animo ſubinde cogitationeq; verſamus? Quas Heſperii nemoris delicias, quas Pæſtanæ amœnitatis illecebras, quæ hortorum ſpectacula, quæ regum palátia non cogitatis? Occurrunt animo theatra veterum, & ludicra ſcenarum, & pompa triumphantium. Veniunt in men-

diem nullis fuerit uſurpata ; certè tamen an per alios ſenſus explorata fuerit, poſſet dubitari; niſi iiſdem teſtibus controverſia finiretur, qui tantam ejus ſuavitatem nobis memorarunt, quantam aures hominum nullæ unquam fuerint expertæ. Jam proinde, finge hìc aliquis, modulatas aviũ voces audire te, eæ omnes ad illam ſuavitatem continuò ſordebunt. Puta, nervos chordaſq; teſtudinum ſonare; plorabunt. Cogita, liquidi gutturis artiſque muſicam promitti, adeoque illam,

Quâ vel Threjicius Poëta motis
Pantheras rapuit tigreſque ſilvis;
Vel quâ Strimonias ligavit undas,
Et verti refugum coëgit Hebrum;
Vel quâ marmora, Caucaſique tractas
Secum juſſit obambulare rupes:

Huic qualicumque muſicæ ſimul alteram illam tu oppoſueris, ocyùs & Biſthoniam teſtudinem ceſſare, & Leſbiam citharam faceſſere, & pertæſus tacere Amphionis lyram jubebis. Quæ quidem ego ſi promptiùs alicui viderer quàm certiùs affirmare, graviſſimæ rei teſtes alios hìc alioſque excitarem : quos tamen, quando in aliud tempus mihi opportunius reſervo, tantiſper hìc quieturos meâ fide vos arbitrabor.

10 SED erunt hîc veſtrûm aliqui, qui ægrè laturi non ſint, ſi has Cælitum voluptates, iis quidem gaudiis antecellere omnibus contendero, quæ ſive oculorum auriumque officio, ſive ſenſuum noſtrorum miniſterio comparantur: ceterùm, ut nihil à nobis, ne animo quidem prælibari hîc præcipique poſſit, quod illam felicitatis ubertatem repræſentet; in eo fortaſſis non æquè faciles aſſentientur. At iſtis præcluſa jam oraculo noſtro, ne hac elabantur, eſt fuga. Quid enim diſertius effari oraculum potuiſſet, cùm regni illius beatitatem negavit in cor hominis ullius adſcendiſſe? Nónne hoc nobis dicere viſum eſt; Mentis aciem, quantam poteſtis, intendite, animumque indefeſſi ad illas delicias metiendas exercete; nunquam tamen, quoad vivitis, cò vos evadetis, ut ad ejus gaudii magnitudinem cogitando ſitis perventuri. Et quantum eſt tamen id gaudium, quod animo ſubinde cogitationeq; verſamus? Quas Heſperii nemoris delicias, quas Pæſtanæ amœnitatis illecebras, quæ hortorum ſpectacula, quæ regum palátia non cogitatis? Occurrunt animo theatra veterum, & ludicra ſcenarum, & pompa triumphantium. Veniunt in men-

tem naturæ miracula, venit artificum ſolertia, veniunt opum ingentium cimelia. Quæ ipſa quidem, ac mille talia, ut animo ſubjiciatis, fabularum commenta procuditis, omnes ingenii ſinus excutitis, magniſque centonibus velum ſarcitis, in quo falſæ felicitatis imaginem expingatis. Et eo tandem labore quid univerſi proficitis? nempe in unâ cæli regiâ plus voluptatum intelligitis eſſe reſervatum, quàm aut ſenſu poſſitis deprehendere, aut animo excogitare.

II QVÆ ſi ita ſunt, Sodales, ut re verâ ſunt, felices certè nos erimus, ſi partas nobis has regni opes conſtanter appetimus; fatui, ſi non agnoſcimus; miſeri, ſi etiam vili pendimus. Nam quantâ eas contentione multi veterum Heroum expetiere? quàm anxiè requirere, quàm prodigè licitari mercarique ſtuduerunt? Conſulite teſtes, non jam eos, qui aut falli emendo, aut fallere alios ementiendo potuerunt: percontamini, quantum ei regno pretium ſtatuiſſe ſe fateantur. Multos illicò reperietis, qui cum uberrimis lacrimis, cum diuturnis vigiliis, cum aſſiduis vitæ ærūnis, illud libenter avideque permutarint: multos, qui ampliſſima patrimonia con-

temptim

temptim abjecerint, censûs Principum fundósque exhauserint, regnis hilares imperiisque se abdicarint: multos, qui spes resque omnes dimiserint, qui gratias, qui glorias mortales contempserint, ut in possessionem ejus felicitatis vocarentur. Et quorsum alioqui tam multi circumiissent *in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ*; si dignum illud regnum non judicarunt, quod unum omnibus exiliis, periculis, ærumnisque emeretur?

12 QUID? quòd innumerabiles alii, cùm auro illud atque opibus emere desperarent, vitam, sanguinem, animamque in id liberaliter contulerunt? Agite enimverò testes purpurati, clarissimi heroës, fortissimi martyres; & paucis nobis, quantum huic merci pretium dixeritis, indicate. Nunquid enim Bartholomæe, etiam tu tibi illam comparasti? Ego verò illam pelle mihi totâ, per lacerati laniatique corporis artus abstractâ; &, si mille adhuc mihi corpora supersint, mille corporum exuvias tales impiger impendam. Alius, Ego lentis, inquit, ignibus amburi, ego candentibus prunis torreri, ego in ahenâ sartagine cu-

pii aſſari, dum de pretio quiſque paciſceremur. Alii prompti, quicquid poſceretur, exſolvêre. Hic caput & cervices præbuit, hic ferro cædendos poplites dedit: iſte, cùm linguam mercator denteſque exegiſſet, etiam jugulum impendit: ille hianti vulnere per patulum pectus animam efflavit, alius præcipitio eliſus crepuit, alius laqueo peremptus, viam in iis etiam anguſtiis invenit; alius in crucem iit, alius in æquor & undas deſiliit; alii aliâ clade vitam animamque profudêre, & venali ſanguine cælum emêre. Et requiritis vos, quid etiamnum ſentiamus? Noſtrûm adhuc neminem pænituit emiſſe.

13 DICTVRI hæc utique ſunt teſtes mei, ſi citati in medium producantur. Nos intereà, ne quondam ab iis ignaviæ dedecoriſque arguamur, ſi, quod illi tanto ſibi cenſuerunt comparandum, nos unâ lacrimulâ, brevique ſuſpirio dignum non æſtimemus; hodie ſaltem, quod ſemper factum oportuerat, incipiamus alacres & regni hujus pretium amare, & regnum ipſum, quando tam liberaliter donatur, grati ac memores, omnibus aliorum donis anteferre.

II. S. FRAN-

II.

S. FRANCISCVS cæleſti fidicine ſeſe oblectat.

Ex S. Bonaventurâ in Vitâ S. Franciſci c. 5. & inde Laurentius Surius tom. 5. ad 4. Octob.

14 SOLENT hominum plerique omnes, qui ſagaciori ingenio, acrique judicio habentur, ex modico veſtigio totam rei cujuſque magnitudinem haud ægrè conjicere. Quâ quidem ſolertiâ & Pythagoras ex modo ſpatioque plantæ, juſtam Herculis proceritatem; & alius nonnemo ex pollicis menſurâ, vaſtitatem Cyclopis; ac denique, neſcio quis, totum ex ungue leonem dexterè indagarunt. Sunt ſua quædam etiam cælo veſtigia, quorum indicio ſapientes quondam, non ſanè ad comprehendendam, certè autem ad æſtimandam mirandamque Cælitum voluptatem, feliciſſimè penetrarunt.

15 IN horum acie, Sodales, primum (niſi animi fallor) viſus eſt pilum ducere FRANCISCVS; vir, quod ipſi meminiſtis, cælo

cum primis jam clarus;magnum,non Umbriæ solùm,sed Europæ Ecclesiæque ornamentum. Hunc olim accepimus, affecto corpore,& malè à morbis Medicisque habito,graviter ægrum in paupere cubiculo jacuisse. Ubi quamquam omnium egens, præter straguli centonem, rudemque tabulam (hæc namque mollis culcitæ, ac serici pulvini vicem ei fuerant) subsidii solatiique nil haberet, animo tamen omnibus & morbi injuriis, & penuriæ incommodis stetisse superiorem. Quæ enim corpori calamitas tam infesta posset accidere, quæ in FRANCISCO vim animi roburque enervaret? Sed ipse tamen, etiam talis, humanum esse credidit,ut si quid dolori paullulum leniendo sese offerret, non id omne ex disciplinâ Stoicâ repudiaret.

16 IGITVR dum in humili grabato FRANCISCVS ægrum corpus aliquandiu volvit & versat, nullâque in parte dolorem neque mora nec medicina mitigat; videt socium, ex iis, qui plures tum aderant, unum; cui ipse *Pacifico* nomen (nec indoles moresque abludebant,) volens indiderat. Hunc æger vultu amabili, perfamiliariter juxtà ac suaviter obsecrat,artem sibi suam operamque tantisper ut accommodet,

modet, dum victa doloris insania aliquantulum remittat. Ceterùm ars erat ea, quâ quondam is adolescens domi suæ fidibus canere, non illepidè, nec invenustè consuêrat. Quis hîc FRANCISCI preces, tam honestâ in re, facilè laturas repulsam vereatur? Quis *Pacificum* ultrò, vel hominis caussâ, ad chelyn suam artemque properaturum, non putet? Debuit enim hanc operam FRANCISCO, debuit ægro; sed ipse utrique inexorabilis, ne obsecranti quidem commodavit. Ita, quod ægri nutu debuerat impetrari, etiam precibus est negatum. Nam insolentiâ voti perturbatus, ut ei morem ne gereret, ita secum *Pacificus* disputabat: Quid cogitaturos alios, si vel *Pacificum* audirent in chely ludere, quam ipse pridem ut profanam ejurasset? vel canenti ludentique attendere viderent FRANCISCVM, qui ludos ejusmodi extremè odisse omnes putaretur? Rem utique nec præsentibus ad spectaculum gratam, neque posteris ad exemplum profuturam. Premeret igitur inconsultæ voluptatis cupidinem FRANCISCVS, remque intempestivam volens libensque omitteret; quæ etiam concessa, nihil admodum adversus dolores esset remedii allatura.

17 Hic ego quid adeò dicam, Sodales, vix invenio: nisi, quòd putem, plerosque nostrûm, si perinde ægros spes rei tam cupitæ fefellisset, fidem hominum Cælitumque fuisse imploraturos, & operam inhumanè denegatam, sociis exprobraturos. Nempe, senio nos tædioque etiam familiaribus atque amicis esse, nec ulla humanitatis officia vivere, plorabundi quereremur. Fuisse quondam tempora, cùm validi sua ægris obsequia certatim & ultrò ingererent: quæ modò ne flagitantibus quidem exhiberentur. Denique, ô tempora, ô mores, cum temporum morumque convitio, clamitaremus. Hæc, inquam, aut horum similia, si nobis fortasse per probrum dedecusque exciderent, quantum, Deus bone! à FRANCISCI modestiâ patientiâque discederemus? Iste enim cùm æger hanc insperatò, quam diximus, repulsam tulisset; nihilo magis, quàm si voti potitus, omnia impetrasset, cuiquam homini succensuit: interpretatus rectè ordineque fecisse, qui, quam operam inconsultò postulasset, eam sibi præstare, vel rogati, detrectassent. O vocem FRANCISCO (à quo nihil nisi magnum exspectabatur) dignam! vocem, patientiæ singularis,

man-

mansuetæque indolis testem! vocem, cui etiam recusanti, testudines ultrò chelesq; omnes suam operam gratificentur!

18 CETERUM quas ægri preces asper- nata est tellus, non perinde etiam sidera contempsere: quæ adjecto plerumque fœnore, quicquid à mortalibus prætermissum est, compensant. Et agnoscite, quæso, quàm fœnus id liberale, & quantò melius ipsâ etiam sorte fuerit. Nam ei vix etiamdum chelyn suam *Pacificus*, velut aut desidem jam, aut omnino desitam, negarat; cùm, ecce tibi! effusi cælo fidicines (sed ô quantò nostris ii Cantoribus meliores!) turmatim irruere, certare studiis, & ægroti lectulum ambire; ut, quam homo homini voluptatem conciliare rogatus noluerat, eam Cęlites uberiùs compensarent. Cælites, inquam. An enim dubitatis, quin etiam isti vel ita comes fuerint & officiosi, ut vellent; vel ita solertes & periti, ut aliquam FRANCISCO musicam, humanæ æmulam, excitare possent? Meminimus in fabulis legere nos, tam liberale scitumque ingenium ipsis etiam cicadis fuisse, ut, cùm quendam *Eunomum*, in scęnâ fortè canentem, rupta testudinis chorda inopportunè destituisset; earum una promptior officio-

officiosiorque, occuparit è vicino arbusto provolare, superque testudinem insidens, modulato stridore, tinnitum, quem defecta ruptaque chorda debuerat; argutè scienterque assimulare. Vicit hanc Eunomi fabulam historia FRANCISCI; cessitque libens ingenium cicadæ, officiosæ huic Cælitum musicæ.

19 QVAM autem qualemque nos hanc fuisse musicam dicemus? Etenim si fidicines illi Cælestes omnem suam, quâ pollent, artem exserere, nervosque universos intendere tunc seriò voluissent; equidem confiterer, nec aures animosque FRANCISCO suffecturos fuisse: nec ingenium mihi suppetere nunc posse, ad minimam ejus voluptatis partẽ comprehendendam. Quandoquidem verò non omnem è cælo musicam evocarunt, & nihil ibi carminis illius, quo Numini ter sancto suavissimè applauditur, neque Virginum illud Epinicium, quo laureatæ pompam Agni prosequuntur, delibarunt; sed vix minusculam obviamque chelyn amplexi, lectulum circumsteterunt; ductoque per citharam plectro, ter quaterque canorũ insonuere: ita quidem, ut cæli delicias nondum totis amphoris affundere, sed in heminæ unius promul-

promulside, gustum suavitatis suæ præbere viderentur: quando hac, inquam, moderatione suam illi musicam temperarunt, erit fortassis, ut in eâ auscultandâ, sensibus constare potuerit FRANCISCVS; nobisque, vel in parte quid audierit, narrare.

20 VERVM irriti nos, de nihilo hanc nobis spem concipimus. Jam enim, ut commodùm hi Symphoniaci, per cubiculum diffusi, primo se murmure susurroque prodidere, cœperuntque veluti prolusuri,

Illinc tendere barbiton, levique
Septenas digito movere chordas,
Illinc pectine tinnulo sonoros
Per testudinis ambulare nervos;

enimverò tum animus, sui nostrique immemor, exsilire, & corpus ægritudinis dolorisque oblitum, ubi esset, quid laboraret, quæ pateretur, ignorare; & FRANCISCVS felicitatis suæ nec initia capere, nec finem videre, nec modum habere; sed insperatâ carminis illecebrâ raptus, non sui se tugurii hospitem credere, sed cæli jam inquilinum civemque arbitrari. Quare neque nos adeò duri crudelesque erimus, ut FRANCISCVM ab hoc cęli confinio ad nos odiosè retrahamus, & symphoniæ intentum, ad ravim nostram ac stridorem

attendere jubeamus. Quin potiùs nos ipsi ad auscultandos hos ejus choraulas accingimur, & quod è propinquo possumus, aliquid hujus suavissimi concentûs, nostris etiam auribus captamus.

21 SED neque hîc, Sodales, quod cupimus, evenire ex animi sententiâ videmus. Ecce enim, dum segnes hîc molimur, & æquo diutiùs cessamus, ipsi quoq; FRANCISCO sua se musica, cùm vix etiam cœpisset, insperatò subduxit: animusque & sensus, ab illis aurium deliciis (ah quantillo temporis momento gustatis!) ad sese non sine gemitu revertit. Quare, ut æger in lectulo cubantem se, & circumcircà adstantem familiam respexit; mutoque silentio parietes mœrere, & nullas jam neque fides neque fidicines audiri persensit; erupit in vocem ipse; &, Miserum me! inquit; quis cælum in hunc mihi tugurii squallorem, Cælitesque in hominum ora, ipsamque amænitatem in hanc repente solitudinem convertit? Quò mea se omnis suavitas? quò aurium animique voluptas migravit? Utinam ea vel paullò mihi diuturnior contigisset! utinam vel pauxillo! Quid enim? Nunc hiantem, ecce, præceps in ipsis experimentis defecit. O aures mortalium

talium infelices, quibus aut alia poſſunt carmina placere, aut hæc talia poſſunt diſplicere! Eunomi vos, ſiqui fuiſtis, omnes abite; tacete Orphei, ſilete Ariones, Amphiones valete, Unum hoc auribus votum eſt, eos cantores audire, qui veſtram me Muſicam doceant faſtidire.

22 NON imus inficias, Sodales, quin magna nobis hæc planeque mira debeant videri, quæ de cæli ſui deliciis FRANCISCVS hìc quaſi curſim indicavit. Sed nondum tamen illuc ejus pervenit oratio, quò poſtremò debuit. Quare reliquum eſt, ut de toto voluptatis torrente, quo quondam irrigabimur, quid judicii ſui ſit, prolixiùs paullò declaret. Quanquam, quid ejus etiam vocem deſideramus, cujus vita pridem moreſque de totá lite ſententiam luculentè pronuntiarunt? Nam, quid eum, ſi loqui adeò vellet, dicturum hic rurſus aliud putamus: quàm, ſeſe ex paucis parviſque lineamentis, ingentem corporis totius ſtaturam deprehendiſſe? &c., in unâ nectaris ſtillâ, labris primoribus exceptâ, facilè præcepiſſe, quantam voluptatem experirentur illi, qui totos jam imbres torrenteſque, pleno ſinu exceptos, aſſiduè perpotarent? Quòd ſi breves hæ atque extempo-

temporales cæli prolusiones, tanta possint rerum fluxarum in animis nostris fastidia procreare, ut sordere præ illis ac fœtere cetera videantur: profectò spem æternarum voluptatum debere apud unumquemque nostrûm, omnem vitę sensusque mortalis cupidinem extirpare.

23 ATQVE id ita profectò est, Sodales: semel hanc Cælitum concentionem audisse, est profana & humana simul omnia contempsisse. Etenim si brevis ejus usura FRANCISCVM ita potuit afficere, ut in alium orbem illatus, immensis quibusdam gaudiis interesse sibi videretur; quid futurum eo fuisse credimus, si horam integram illa suavitas tenuisset? si diem solidum illi citharœdi; si mensem, si annum denique, aut ætatem alludere ii artifices perrexissent? An non continuò FRANCISCVS, multoque validiùs, exclamaret! Insilite morbi, ruite ægritudines, urite febres, sævite, ferite, carpite dolores: mei acroamatis gustulum cepisse, erit medicinam adversus omnes vestras injurias reperisse.

III.

ASCETES in aviculæ cantu consenescit.

Ex Speculo veteri exemplorum, dist. 9. cap. 61.

24 SI de immortalium gaudiorum ubertate suavitateque, sententiæ hîc inter nos rogentur; nemo omnium erit, Sodales, quin sibi meritò eam in primis magnam, ac propemodum immensam, censeat videri. Ceterùm, erit alibi fortasse, qui non æquè dispicere se dicat, quo tandem futurum pacto sit, ut suavitatis hujus, quamvis immensæ, tamen perpetuæ, diuturnitas nunquam in satietatem vertat; neque loci musica, totam æternitatem duratura, ad sui tædium postremò inducat. Nam & mella æquo sæpiùs gustata, denique nauseamus; & rerum etiam charissimarum aliqua satietas est. Sed nolite, Sodales, ut alia omnia timeatis, hac unâ in re nolite periculum timere. Non possunt nectar & ambrosia sumentibus fastidium generare; mihi credite, non possunt. Cui

rei

rei confirmandæ teſtem vobis oculatum, probæque fidei Aſceten excitabo.

25 AVDIERAT iſte, etiamdum adoleſcentior, legeratque, mirificam eſſe eorum vitam, planeque voluptariam, quos hîc emeritos, virtus, beneque facta cælo tranſſcripſiſſent. Nam eos, quamvis inter affluentes delicias ævum æternitatemque exigerent, de nullâ tamen temporis longinquitate torqueri; ſed gaudiis perfuſos, totas annorum chiliadas, vix unius dieculæ moram arbitrari. Quæ quidẽ res, quàm erat creditu digna (quid enim teſtantibus oraculis non crederetur?) tam illi viſa eſt captu cognituque ardua. Igitur homo ſollicitus, quî rationem intelligendæ rei qualemcumque indagaret; cùm diu nihil admodum profeciſſet, habuit denique propitium præſenſque Numen; ut incogitans planè inſcienſque, in arcanæ rei cognitionem ſuaviſſimè traheretur. Quod quèmadmodum acciderit, nihil me pigebit memorare.

26 FORTE enim ut hiſce curis impenſiùs animum permiſerat, ſub auroræ diluculum, in ſuburbano vireto obambulans, audit, vocis teneræ liquidæque muſicam perſonare; ea, quòd peregrinâ ſuavitate

condie-

condiebatur, perpulit hominem, ut sublatis oculis, delicati carminis auctorem requireret. Quærit. Videt nominis ignoti, parvique corporis, volucrem, haud procul in arbusculæ ramo considentem. Et attonito similis, admiratur, unâ, eâque non magnâ aviculâ, omnes & cygni questus, & acanthidis cantus, & lusciniæ lusus superari: ibique quicquid in citharâ tinnulum, aut testudine querulum, aut in barbito sonorum est, simul omne audiri. Quid ageret, captus hac soni vocisque dulcedine Ascetes? Nimirum aliò, vi sibi allatâ, animum diverteret? aut aures (quod in Sirenum insidiis facimus) cerâ liquente cautus præstrueret? aut volucrem innoxiam terriculis è loco abigeret? Apage hinc istud, inquit, homo nihili, tam iners consilium; ac potiùs, quî mentem ego propiùs advertere, totusque fieri auris hîc possim, edoce; quò integrè pleneque ab hujus aviculæ cantu suspendar.

27 ITA dum obfirmato æquè animo ac vultu, in cantatriculam intentus, & sui juxtà ac suorum oblitus, auscultat; cœpit paullatim volucris ad vicini nemoris umbram avolare, suoque simul & lento volatu, & melleo cantu, imprudentem Asce-

ten ad uſque avia & invia ſilvarum, longiùs abducere; quàm unde retrahi ad ſuos homo commodè poſſet. Atque ibi, cùm in arbore procerâ, velut pergulâ quadam, aut pulpiti ſcenâ, conſediſſet; perrexit auditori ſuo, quas ſemel inceperat, uſque & uſque delicias facere. Homo interim in miraculum uſque durare, hiare, ſtupere. Manet interim arbiter immotus; neque pedes laſſitudine diuturnâ franguntur, nec aures obtunduntur, nec oculi hebetantur. Corporis totius votum eſt, ut auris fiat. In hoc acroamate auſcultando, abeunt juveni horæ, nec ſentit; labuntur dies, & neſcit; fugiunt menſes, redeuntque, & adhuc ſubſiſtit. Nec imbres eum ſtatu dejiciunt: nec hiemes loco pellunt. Inſuper non ſitis tentat, non fames ſollicitat: anni denique abeunt, nec dormit interim homo, nec nictat, ſed neque etiam jentat unquam, nec cænat. Nuſquam enim ulla ventrem vexat injuria, ubi hæc animum paſcunt oblectantque condimenta. Quid pluribus ego vos traho? verbo rem omnem uno expedio: Stando, audiendoque, conſenuit ignarus.

28 At eo ſe cantu nondum Aſcetes explerat, cùm improvisò, hiantem adhuc &

appe-

appetentem, ales amabilis deserit: & prior omnis suavitudo, jam muta in aërem auramque evanescit. Inde, ut ex longo acroamate Ascetes ad sese rediit, & volucrem sibi nusquam, neque carmen & musicam usquam esse; sed circùm omnia mæstum in modum silere, ipsamque loci faciem squallere undique & horrere (quod priùs non adverterat) persensit: velut somnio confusus, institit se ipse circumspicere; lacrimansque, naturæ invidiam accusare; quæ, quas alas ad avolandum volucri dederit, eas sibi, ne fugientem insequeretur, denegasset. Certè autem vel hoc, inquit, avicula fecisset, ut pauxillum morata, modulos inceptos aliquo priùs èpiphonemate clauderet, quàm præpropero silentio imperfectoque exanimasset. Equidem ne ipse quoque voti tam immodicus fuissem, ut solidum mihi diem poscerem. Breviori beneficio contentus, horulæ moram exoptassem. At illa vix cœpit delicatula, & abrupit: nec delectare auditorem voluit, sed irritare. Et quantulum tamen fuisset, si unius etiam horæ morulam donasset? nunc vel dimidiam, avara, invidit: & in primo periculo defessa, citiùs propè obmutuit, quàm canere incepit.

29 Hæc, atque hoc genus plura nequicquam lamentatus, ubi volucrem sensit è fugâ reduci nullis ne precibus quidem suis posse; decrevit illuc, unde pedem insciens extulerat, reverti. Sed simul atque è silvâ, quò pedetentim pervenerat, in viam rediit, nova rerum locorumque facies objecta, hominem mirificè affecit. Videt quaquà versus, hîc turrium editarum fastigia; hîc urbis novæ portas & mænia. Atque ubi solum priùs incultum, & vepribus horrentia tesqua meminerat; jam sublimia tecta, domosque eminere, ibi templa & palatia surgere, ibi omnia cultu, incolis, studiis fervere, miratur. Utique felicem esse architectum debuisse, qui tot opera molitione tam celeri construxerit: aut fertilem terram, quæ unico nixu tot repentè partus effuderit: aut denique se extra Solis Lunæque metas evagatū esse, ubi jam in peregrino cælo nihil sui agnoscat. Inter hæc, quaquà mirabundus incedit, obviàm habet mortales omnis generis multos, nec nomine quemquam, nec oris habitu, nec cetero vestitu jam notos. Domicilium ipsum, unde se recessisse paullò antè censuerat, veteri adhuc loco situm, cetera præter solum omnia mutarat.

30 Ea

30 Ea res tam improvisa, quanquam oppidò perturbat, non deterruit tamen, quin ad Asceterium vetus accedere sibi, pristinamque stationem repetere, putaret licere. Igitur ingressus, dum per nota viæ diverticula ad suum conclave curriculò festinat: ecce familia ubique alia, alii passim inquilini, & nemo veterum sociorum. Plerique licentiam advenæ, plus quàm familiarem, admirati, primùm silentio spectare; mox, quòd hominem errore circumagi crederent, palàm, quis & cujatis sit, quasque res domi alienæ actitet, quærere. Ille vicissim, quos imò ipsi, qualesque se ferrent; quid in asceterio tot repentè hospites, an hostes; sibi vellent, rogare. Inde mutuo aspectu alterni hærere, & utrinque alteri in alteris stupere; cùm iste se advenam negare, civemque atque adeò templi æditimum dicere: illi rursus ignotum, exterumque aut profectò ceritum credere perseverarent. Quâ ex re, mirum aliquamdiu tenuit ludibrium; dum denique compertis indiciis, veritas nubem perrupit.

31 Nam Ascetes, quòd & obrui adversariorum numero, &, ni melioribus argumentis pugnaret, actum agere sese in eâ

lite videbat: juratus, quid sibi, quoque modo cum aviculâ acciderit, enarrat: simul, quæ tum familia, quis familiæ Pater Præsesque fuerit, cùm indidem egressus aviculæ cantum persequebatur. Ex eâ personarum nomenclatione factum proinde est, ut, si ephemerides domûs consulerent, iis inspectis aliquid erui posse videretur. Ita ad acta familiæ decurritur: atque inibi litteris jam fugientibus, longaque vetustate evanidis, scriptum Præsidis nomen, sub quo asceticen homo fecerat, invenitur. Subjecta ibidem narratio, quæ loci æditimum (atque is nimirum nöster hic erat) omnibus ignaris, amissum: & sive fugâ clapsum, sive morte subductum, nusquam posteà apparuisse, memorabat. Quid jam pòrrò, Sodales? etiámne fidē habere familia pertinax abnueret? Audite rem omnibus annis annalibusque memorandam. Convicti liquidis argumentis universi, dum subductis calculis rationes putant; hominem vivum ac sentientem (obstupesco referens) annos comperiunt haud minùs trecentos ab asceterio abfuisse: cùm ipse intereà ab alitis auditi cantu blandissimè suspensus, id omne tempus, quamquam & diuturnum, & sæpè frigore, sæpe

pluviâ

pluviâ infestum, vix pauca horæ unius momenta credidisset.

32 Hic ego jam perfacilè quemque arbitror conjectare, quis homini in re tam novâ sensus, quis in circumstantium animis motus, quis in oculis vultuque stupor exstiterit. Videor enim ipsum adhuc Asceten audire exclamantem, seséque damnantem stultitiæ. Nempe hoc hæseras, imprudens, utrùm, quod apud hominem lusciniæ voculâ potuit, id oceanus voluptatum æquè etiam apud Cælites posset? Trecentos jam annos, inter inculti nemoris squallorem, contemptis nivium imbriumque injuriis, in volucris unius garritu perdius & pernox hæsisti, stetisti, consenuisti; neque etiamnum eo te cantu satiatum confiteris? at in illo Cælitum omnium concentu, in illâ mentium æternarũ symphoniâ, ubi tu pedibus solem lunamque insistes, ubi omnium amænitatum copiis circumflues, ubi felix campos Elysios, pluviæ brumæque securus, incoles; ibi triduum durare, an sine fastidio posses, metuebas? O metus verè panicos & inanes! ô jucundam ibi quantamlibet moram! ô ipsam æternitatem, ut seipsam illa conduplicet, brevem! Age mors tandem, age quod agis,

& Neſtorē hunc triſeclem manu aliquando emitte. Satis ſuperque tuus me carcer habuit: cujus ſenſum tædiumque ut mihi demeres, adductâ cantatriculâ decepiſti. Deprehendimus fraudē, & abimus. Dixit: magnoque æternitatis deſiderio incenſus, ut hiſtoriam teſtimonio gravi confirmaret, mortem ibi lætus oppetiit, cujus inſidias trecentis jam annis fefellerat. Ei nos quamvis invidere nunc poſſemus, Sodales, tanquam derelicti; gratulari tamen mālimus, tanquam propediem ſecuturi.

IV.

EQVES nobilis ad epulum cæleſte invitatus.

Ex Speculo Exemplorum veterum diſt. 9. cap. 64.

33 TANTA corpori cum animo, jam inde à primis ejus natalibus, contracta eſt neceſſitudo, ut bona adverſaque ducant ſibi ambo, veluti lege quadam, eſſe communia. Nam & corporis dolores animum trahunt plerumque in partes; & viciſſim, animi quoq; voluptates in corpus,

pactâ

pactâ societate, refunduntur. Quæ quidem duorum fœdera, ut inter superos quoque perennatura esse videatis, quæso vos obtestorque, Sodales, id, quod ex veteris Scriptoris fide ingredior narrare, faciles attentique auscultate.

34 INTER provinciales, viros nobiles, duo quidam erant, cùm loco domicilioq; vicini; tum, sicut opibus & generis splendore, sic vitâ moribusq; ex æquo insignes. Horum alter altero diu perfamiliariter usi, in magnam amicitiæ amorisque consuetudinem pervenere. Atque ut erat matura utriusque gravitas suavi modestiæ sociata, amœbeis conviviis, sed honestis iis & jucundis, sese alterni, ut cuique visum est, invitabant. Ubi veri mihi fit simile, crebra illos, cùm de bonis quibusque studiis, tum de cælestibus præsertim gaudiis (quorum amore tangebantur) miscere colloquia solitasse. Nondum enim hæc ævi nostri dedecora invaserant, ut coïri amicitia inter plures posse non putaretur, nisi cænas in luxu probrisque exigeremus; aliique aliös lacerare conviciis, vel contemptore supercilio despicere, vel in vino & ludo patrimonium ingeniumque decoquere, cum Apicio studeremus. Quin contrà, decorũ

ſibi etiamtum nobiles credebant, ſi & facere palàm glorioſa, & fabulari inter ſe honeſta, audirentur.

35 In hac tali duorum conſuetudine, cùm neſcio quid ſolito majus uterque moliretur, convenerat fortè, ut ſtato quiſque die luculentum, præ ut unquam aliàs fecerant, epulum domi ſuæ appararent; invitatis etiam aliis, quos vellent, communibus amicis. In hanc legem ubi hilares alter alteri condixere, jamque dies condictus ſuberat, ille alter (heu ſubitos rerum temporumque caſus! quàm totus homuncio nil eſt!) ille, inquam, alter, qui venire ad invitantem prior debuerat, fatis præpropere conceſſit, ſuique adventûs ſpem convivatori omnem incidit. Elato tamen tanto amico, quid alter ſuperſtes egerit, expectatis? Utique, Sodales, erat is, ad funeris luctum, quàm ad convivii luxum, ex hoc vicini exceſſu, paratior; eaque propter indictas epulas, ſi quà licuiſſet, facilè omiſſurus. Verùm in vivis adhuc ceteri ſupererant, quos eodem jure meminerat eſſe à ſe vocatos. Et iſtorum, quod par erat, reſpectus tenuit, ut, tametſi conviva unus, iſque præcipuus, numero deeſſet, illi tamen reliqui, in eodem ſigmate, tantò laxiùs

laxiùs accubituri viderentur. Pergit igitur in incepto hoſpes, lauteque menſas & triclinia inſtruit. Ceteri, ut inter omnes convenerat, in tempore & loco adſunt.

36 OCCVRRITVR à patrefamilias omnibus: fit ſalutatio: properantur officia: deducuntur hoſpites: aqua in manus ſumitur; ordine locoque diſcumbitur. Atque hîc ecce tibi! adeſt hoſpes etiam ille, quem nemo tum convivarum exſpectarat: quippe functum nuperrimè, & quod conſtabat, publico funere jam elatum. Et adeſt, ut oportuit, vultu compoſito ad hilaritatem, quo nihil ferale aut mortale præferret. Quis enim in illo alioqui ſigmate lætus accumbere, aut dapes, quamvis opiparas, carpere ſuſtineret, ſi cum Manibus ad polluctum novendiale veniſſe ſe cerneret? Ad hæc, ipſemet cęlo jam tum receptus (quod, puto, mox infrà cognoſcetis) nihil cauſſæ habuit, cur indecorem ſibi perſonam ſumeret, & in ore lurido triſtis potiùs, quàm cum ſereno placidoque, comis appareret. Quid multis excuſo? Adfuit, quem diximus, cōviva, accubuit, cænavit; fidemque, quam invitatori dederat, præſens exſolvit. Reliquum erat, ut ex pacto mutuum faceret, epulumque & ipſe jam pro ſocio inſtauraret.

ſtauraret. Neque in hoc etiam fefellit. Menſis enim commodùm remotis, amicum veterem è turbâ ſeductum, jubet memorem attentumque eſſe, ut ad ſeſe proximè cœnatum & ipſe veniat: diemque & modum veniendi edocet: ſimul, abrupto colloquio, deſiit videri.

37 IGNARUS adhuc alter, quò defuncti hoſpitis invitatio tam nova inſolenſque pertineret; & arbitratus tamen fide non carituram, apparat ſeſe diligenter, diemq; edictum avidus expectat. Neque enim homo, qui cetera tam probè ſemper tamque (ut ego mihi perſuadeo) religiosè vixerat, per eos dies commiſerit, quin viaticatus antè, vaſa colligere, &, ſi mors fortaſſis ingrueret, rationes cum Deo ponere maturaret. Certè non aliud nos ipſi conſilium capturi nobis videmur, ſi cænæ dictator nos talis invitet: idque ni ſolliciti cum primis faciamus, parum proſpicienter de æternitate conſultaſſe videbimur. Et profectò invitamur jam nunc, Sodales, invitamur! Niſi fortaſſe ſeria Chriſti mandata vos eſſe non putatis, cùm pervigiles excubare omnes; eſſeque procinctos jubet, ne quà vocatos teneat mora. Ubi tamen deterior & hæc noſtra eſt conditio,

quàm

quàm Equitis istius fuerat; eò, quòd suus huic dies perspicuè diserteque edictus, noster autem incompertus adhuc obscurusque habeatur. Quæ ipsa temporis incerti obscuritas, quantum acuere studia nostra curasque debeat, otiosum arbitror, cùm ipsi jam videatis, admonere.

38 QVAPROPTER, ut ad institutum revertatur narratio, dum Eques hic invitatus diem, quem suus illi dictator constituerat (is aliis à Sole indigitatur; nobis à Christi Anastasi Dominicus est) spem inter metumque opperitur: ecce tibi! ad ipsas ædium fores asturconem videt, candidum illum pulchreque stratum, & phaleris bullisque conspicuum. Quò, uti præmonitus fuerat, inscenso, celerrimè ex suorum conspectu abripitur, brevique tempore per immensum iter, ad regiam quandam peregrini splendoris, miræque venustatis, perfertur. Quam ego regiam, quæque illa fuerit, Sodales, utinam aut veris lineamentis, aut veri saltem similibus, effingere jam possem! quid amæni vobis, pulchrique & pretiosi non monstrarem?

Tectum augustum, ingens, plus centum insigne columnis:
Nil ibi plebejum, nusquã Temesea videntur

Æra; sed inducto domus undique fulgurat
auro.
Sub pede lucet onyx, plantasque veretur
ophites,
Effulgent cameræ; variis fastigia gemmis
In species animosq; nitent. Vix ordine longo
Sufficiunt oculi. Quæ rerum turba? Per
aulam
Fusus ubiq; dies: mille atria, culmina mille,
Mille lares, & certa lari sua cuiq; voluptas.

Sed ea nimirum loci voluptas, quamdiu oculos nostros aspernatur, ne calamis quidem nostris verbisque dignatur adumbrari.

39 In hujus regiæ vestibulo cùm paullùm hospes constitisset, ab occurrente socio benignè comiterque exceptus, per ampla quædam atria, sanè quàm officiosè in aulam usque deducitur. Ibi frequentes convivæ magno numero circumsident, epulis colloquiisque intenti. Inter quos Eques, quàmvis advenerat tardiusculè, tamen etiamtum, &, saltem de ultimo missu, partem sibi suam capere jubetur. Nam ad mala jam usque, & secundæ mensæ bellaria convivium processerat. Obtemperat hospes non gravatè: cùm eas præsertim cibi potusque reliquias videret,

quæ etiam in saturo potoque famem possent movere. Omnia rore nectaris, omnia ambrosiæ sapore melleque condiebantur. Nugæ meræ, quicquid in Luculli Apolline vetustas est admirata: omnis Cleopatræ sumptus paupertas; & ipse Apicii luxus potuit egestas ac jejunium vocari. Inter has dapum lautitias cùm oculos hospes ad convivas etiam convertisset, illamque accumbentium modestiam, atque illam exuberantis lætitiæ consensionem, totamque loci majestatem conspexisset: cùm denique attentior, hinc epheborum obsequia, hinc musicorum certamina, atque undique omnium studia officiaque considerasset; tum ille se demum

------ mediis discumbere sensit in astris,
Et plus quàm Iliacâ porrectũ sumere dextrâ
Immortale merũ; superisq; tragemata mensis
Carpere, ab humano nunquam libata palato.

40 Ab eo deinde sensu, rerum mortalium satur, id sibi reliquum sperabat, ut in illo felicitatis palatio ævum æternitatemque duraret. Nam quid, inquit, curis mortalibus indulgere posthac delectet? quid imò non pigeat, tædeatque? Perdidimus, quicquid huc usque viximus,

--------steriles transmisimus annos;

Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Jamque adeò pluribus terram conviciis petere, rebusque humanis repudium remittere ingressus, tenere propositum non potuit. Adest enim à tergo monitor, creberque jam & serius vellicat; parendum ei, nolit velit, abitum esse: ita temporis locique rationes postulare. Conscenderet proinde equum, & eódem, unde advenerat, postliminiò reverteretur. Hic homo queribundus (quis enim succenseat?) exilium deprecari, veteremque amicũ obtestari, ne, quem tam comiter invitarat, lauteque acceperat, barbarâ crudelitate immeritum exturbet. Vix etiamdum assedisse se, labrisque primoribus has ejus dapes degustasse, cùm iterum exesse per ludibrium jubeatur. Daret hanc sibi veniam, & pro veteri necessitudine, in suo se tam beato domicilio contubernalem ne repudiaret: nolle se cuiquam odiosum & gravem esse, nec aliorum commodis intercedere; sed loco infimo contentum, omnibus parêre. Cur autem tu, inquit, beatitatis particulam hanc amico neges?

------- *celsâ jam Solis ab arce*
Contemnis terras, humanaq; gaudia rides,
Spemq; metũq; supra, & curâ sublimior omni,

Exemptus

Exemptus fatis; indignantemque refellis
Fortunæ invidiam.
Hac tantâ ſecuritate dum felix tu beatuſque gaudes, alios interim excluſos eliminatoſque voles? ut ſcilicet
------- nos vilis turba caducis
Aſſueti ſervire bonis -------
iterum humi vivere, id eſt iterum periclitari, iterumque interire, & mori quotidie compellamur?

41 Potuit hæc homo nobilis apud veterem amicum prolixè invidioſeque expoſtulare: potuit preces lacrimaſque (ſi lacrimis in eâ regiâ locus eſt) interponere: potuit denique, ut quidque voluit, tentare; flectere tamen inducereque non potuit, ut fieri loci conſortem per id tempus pateretur. Igitur ſpe omni dejectus Eques, ne porrò in hoſpite prenſando actum ageret, ad equum denique rediit, eoque ægrè conſcenſo, per avia loca in patriam pari celeritate revehitur, oculis quidẽ nequicquam ad interdictum ſibi palatium retortis. Sed in patriâ, præ quàm cogitarat, mutata mirificè omnia reperit. Ædes ipſas, quas paucis antè horis reliquiſſe ſe credebat, jam in familiæ ſacræ cœnobium converſas; amicorum verò ſuperſtitem planè nemi-

neminem, ac ne nominis quidem ſui generiſque memorem quemquam deprehendit. Quapropter non de nihilo jam miratus, cæpit ſuſpicari, id quod erat, domo ſe diutiùs abfuiſſe, quàm oculi ſenſuſque decepti judicarant. Inde putatis diligenter temporibus, invenit annis adeò ducentis inter ejus epuli apophoreta ſe feliciter diſcubuiſſe: & nihilo minùs properatum abitum immerenti amico ſic exprobraſſe, ut à convivio non dimiſſum ſe, ſed rejectum fuiſſe, per injuriam quereretur.

42 MVLTA hîc iterum mihi, Sodales, & æquè multa vobis, ut reor, in mentem ſunt, quæ taciti omnes defixique admiremur. Simul enim & raram Equitis hujus felicitatem gratulati ſuſpicimus; & ſuo quiſque deſiderio illuc ferimur, unde ſe iſte opinione citiùs dimiſſum querebatur. Atque ô diem nobis exoptatum! ô lucem gaudii exuberantis plenam, quâ nobis continget olim, ut ad epuli tàm opimi ac lauti ambroſiam ſemel admiſſi, nunquam inde recedere, ſed perennes dapum lautitias, nectariſque beati promulſides ſemper appetere, ſemper capere, ſemper inſtaurare, cum cæleſtibus convivis jubeamur! Habebit ibi tunc animus; habebit

(nulli

(nulli dubitate) unde non ſibi ſolùm ſuas delectationes abundè gratuletur, ſed indidem in corpus quoque ſuum ſatis ſuperque effundat: ut dum ipſe cæli dapibus continenter reficitur, ſenſus quoque non ſeneſcere ſe unquam, ſed perpetuam juventam agere experiatur.

V.

GAVDIA quorundam ex cognitâ ſui ad gloriam electione.

Ex Hieronymo Plato, 1. cap. 32. & Surio 13. Iunii; & aliis.

43 CVM perpauci mortalium ſuos oculos ad illam æternitatis felicitatem, atque ad illa mentium beatarum domicilia, conſtanter ſerioque advertant; nec tanti ea gaudia, quanti re verâ ſunt, plerique faciant: eò nimirum fit, ut & illorum jacturam facere, minùs acerbum luctuoſumque putent, & porrò minùs etiam laborent, quò perennitatis ac beatitatis hujus pignus aliquod antè capiant; id eſt, propioribus, quoad homini fas eſt, indiciis, utrùm in Cælitum albo deſcripti jam

sint, prænoscant. Quem certè languorem nostrum, nullos hodie colores invenio; quibus ab inertiæ aut etiam dementiæ notâ excusem.

44 NAM quibus, Christe sancte, quantisque lætitiis cæci mortales maximam partem exultant, cùm nuntius illis, quamvis ambiguus, affertur, aliquam spem affulgere aut auri argentique potiundi, aut honoris adipiscendi, aut voluptatis, etiam per labores & pericula, reperiendæ? Aliquis amicum audit inter Principis clientes adscitum, & continuò gestit: alius patrem Senatoribus adlectum; & exsilit: alius fratri Magistratum fascesque obtigisse, & plaudit: avarus, hereditatem sibi venisse, & se ipse non capit. Miseros hos æquè ac illos, qui in tantilli gaudii simulacro triũphent! Nos autem longè his ipsis miseriores, si, dum ad gloriæ sempiternæ coronam nos esse vocatos, nos inter cælestis imperii heredes adscriptos, nos ad præmii immortalis gaudia destinatos, cogitamus, torpore quodam ac veterno desides, non modò non exilimus confestim, sed ne lentè quidem languideque commovemur! Hæc enim gaudendi materies, homini aut una est, aut sine hac illi profectò alia nusquam ulla est.

45 DI-

45 DICERENT testimonium in hanc rem Duodecemviri nostri, quos olim de subactâ styge gloriantes, eaque propter lætitiâ non absurdè gestientes, inhibuit sapientissimus Magister, iisque disertè nostrum hoc argumentū, in quo uno triumpharent, suasque spes omnes & ambitiones exsererent, opposuit; cùm descriptum in cælo suum cuique nomen monstraret. Quâ syngraphâ tuti, nullas hominum injurias tanti postea fecerunt, ut sibi lugendum idcircò aut aliquid de conceptâ animi lætitiâ remittendum putarint: sed inter verberū flagrorumque crepitus, plusquàm Spartanâ fortitudine erecti, interq; pædorem carceris, & ærumnas exilii, & supplicii minas, interriti non multò aliter, quàm epulis conquisitissimis accepti, perdurarint. Ut proinde non malis argumentis ego persuasum habeam, suos latroni quoque, tametsi acerbissimos, cruciatus, graves esse molestosque desiisse, simul atque audiit, in cæli domicilio locum sibi jam debitum reservari. Pendebat à stipite lacer, clavisque trabalibus affixus, quò se verteret, non habebat: pluebant sanguine manus, rigebant distenta brachia, hiscebant informi vulnere pedes. In hac tamen

corpo-

corporis laniená, cùm cælum ei Christus promitteret, videor exclamantem audire; Debilem facite manu, debilemq́ pede, coxâ; & si quid dirius his etiam ipsis est, id adhuc expromite: hoc tale solatium à cælo dum mihi superest, bene est. Bene profectò (quis dubitet?) & plus quàm bene fuit, cui animus in propinquæ felicitatis portum intentus, sensum omnem à furentis undæ fluctibus avocarat.

46 INVENIO in veterum Annalibus, historias referri duas, inter se ita consimiles, ut, si nomina quoque confundas, possint gemellæ videri. Altera VINCENTIVM, ANTONIVM altera celebrat; illum è *Dominici*, hunc *Francisci* collegio; utrumque & dicendi copiâ, & sanctimoniâ magnum. Hi tales divinum ostentum uterque accepere, de duobus, plebeiis quidem hominibus, sed quos eo tempore nulla adhuc neque morum honestas, neque animi studia conspicuos facerent, quosque vitiis plerique quàm virtuti judicarent propiores. Eos tamen isti didicere, jam tunc ambos cælesti æternoque decreto, ad immortalis vitæ gloriam esse destinatos. Ubi, si nostris calculis rem expenderimus, erit fortasse, qui jactam hinc esse invidiæ semen-

ſementem inter iſtos ſuſpicetur; qualis inter nos haud dubia ſurgeret, ſi viri nobiles, obventurum homini ſordido ignavoque regnum, præſentirent. Et fuit ſanè quędam etiam apud hos invidia, ſed fuit ea ſancta, & ſanctis non indigna. Denique qualis fuerit auſcultate.

47 POST enim quàm VINCENTIVS ANTONIVSque ſenſere, hanc duorum, quanquam ignorantium, felicitatem eſſe; cæperunt uterque ſuam ipſorum conditionem miſerari; ut qui, tametſi ſalutis apprimè ſatagentes, adhuc tamen dubii incertique fluctuarent: cùm intereà alios viderent, æternorum incurioſos, ſuique Deique immemores, ad hanc ſecuritatem, prius etiam, quàm optarent, perveniſſe. Igitur ad eorum admirationem verſi, continere ſe nequierunt, quin iis ubique applauderent, & utrumque ſummis honoribus, cultuque prope nimio proſequerentur: ita quidem, ut quaquà occurriſſent, effusè gratulati, & ab eorũ adſpectu, velut à miraculo ſuſpenſi, fortunatos ſe crederent, quibus intueri tales contigiſſet. Accuſarunt hoc VINCENTII & ANTONII ſtudium non pauci, atque ipſi denique, qui tam ambitiosè colebantur, offenſi, cum ſtoma-

ſtomacho illos rejiciebant. Nihilo ſegniùs illi in officio perſiſtere, alioſque honores ſuper alios ingerere: quòd palàm faterentur, committere nullo pacto ſe poſſe, quin eos jam tum ita venerarentur, quibus ſcirent decretam pactamque jam eſſe gloriæ perennitatem. Atque hìc VINCENTIVS tamen, & hìc ANTONIVS, alienâ tunc ſolùm felicitate, nondum ſuâ gratulabantur. Superi boni! quid cogitaſſent ii, quid ſenſiſſent, dixiſſent, feciſſent, ſi allatum hunc de ſuâ ipſorum ſalute nuntium accepiſſent?

48 EQVIDEM aliud illos aut dicturos ego aut facturos fuiſſe non puto, quàm quod, in fortunâ ſimili, & dixiſſe S. Franciſcum, & feciſſe, comperimus. Id autem cujuſmodi fuerit, quæſo vos, iterum obſervate. Franciſcus, cùm inter preces aliquando ſic incaluiſſet, ut animo à ſenſibus alienato, nihil humanum aut caducum agitaret; vidit perſpicuè Cælitum ſibi album (ô qualem, Sodales, & quâ elegantiâ librum?) exhiberi; & in eo ſyllabo, cum aliis multis, ſuum quoque nomen litteris immortalibus deſcriptum haberi. Quo adſpectu, ſuprà quàm aliàs unquam, exhilaratus, quid apud ſe Franciſcus ſtatuerit, dicere

dicere non habeo: certè autem ſimul ad officiũ rediere ſenſus, in hanc ajunt odam continuò prorupiſſe, LAVDETVR DEVS MEVS, LAVDETVR DEVS. Nec brevis hæc ei aut interrupta per moras exclamatio fuit. Nam, niſi me Hiſtorici fallunt, dies ille continuos octo nihil agere aliud, nihil dicere, nihil cogitare, præ gaudii hujus magnitudine, potuit; uſque adeò, ut eas etiam preces, quas ex legum præſcripto ſolvere quotidianas oportuiſſet, totas prorſus omittere, ob intercalarem hanc epiſtrophen, diebus octo compelleretur. O felix impedimentum! ô ſanctè pieque omiſſas, etiam optimas preces! Veniam ſperate audacter, quiqui alii, paribus de cauſſis, aut omiſiſtis etiam veſtras, aut eſtis adhuc omiſſuri.

49 VERVM hæc paullò ſint fortaſſe remotiora, quàm ut exemplum indidem ad nos quoque moreſque noſtros traducamus. Dabo inſpiciendum aliquid, ſi non temporis vicinitate, certè ſtudiorum affinitate, juvenumque conditione, vobis propinquius; quod olim in oculis Hiſpaniæ geſtum, fama celebris ad exteros, cum voluptatis eximiæ ſenſu, propagavit. Ex urbe quadam (nomen enim haud liquidò memi-

memini) adolescentuli exierant complures, bonæ mentis indolisque omnes: iique omnes ad prædium suburbanum, ubi animos à litterarum studiis, pro more loci, remitterent, condixerant; invitati à nemoris amœnitate, quam ipsam & scenarum virentium opacitas, & prætexti lauro parietes, & multiplex viarum series, ad voluptatis invidiam commendabant. Eò loci cùm pervenissent, continuò, quod cuique opportunum erat, id agere aggressi; variis in ludis jucũdissimè se occuparunt. Quanquam in hac ipsâ ludicrorum varietate, mira quædam apud omnes honestas, & animorum alacritas consentiebat.

50 ECCE autem, dum ibi omnia, ut inter adolescentes, quàm maximè fervent, nuntiatur adesse venerandâ canitie Senex, homo sanctimoniæ & virtutis per omnem Hispaniam compertæ, & cui præcipua quædam crebraque cum DEO familiaritas intercedere, non vanis conjecturis credebatur. Ad hujus adventũ conspectumque, utpote id loci ac temporis inexspectatum, omnes à ludicro quisque suo confestim divertere, ad unum venerabundi certatim accurrere, eumque circumstare frequentes & coronâ circumdare; ut qui felices sese, vel

vel adſpectu ſenis, vel alloquio putarent. Eorum aliqui, cùm paulò antè ſeceſſum ab aliis captaſſent, ubi in umbrâ ſermones de rebus honeſtis inſtituerent, opportunum rati, hominem ſeſſum abducunt, inibique ad ſymbolas amicè invitant. Symbolæ erant, ut de ſuo quiſque, quod eximiè pulchrum legiſſet, audiſſétve, id expromeret; allatumque cum cæteris communicaret. Senior, quem diximus, inſolitùm renidens, eam ipſam ob rem ultrò veniſſe ſe non diſſimulat, uti ad communes eorum ſymbolas mira quædam atque inſperata, nec auditu magis jucunda, quàm certa etiam ipſis & confirmata, apportaret. Inde, ne quis verba, ceu temerè elapſa, in dubium traheret, fidem ſuam interponit apud adoleſcentes vir ille, cui injurato omnis Hiſpania omnia credidiſſet.

51 INSOLENS hæc novaque ſenis erat præfatio; quò magis erigebat univerſos, ut pro ſe ſinguli, quàm proximè quiſque poſſet, accedere, & quæ memoraturus is orator eſſet, audire geſtiret. Neque enim vulgare quidpiam, aut uſitatum, ea hominis frons, oculi, vultus emicans, & horum omnium ardor, promittebant. Igitur ille, conjectis priùs in adſtantes oculis, quaſi

noſcitabundus ſingulorum ora,& circumſtantium numerum exploraret,gaudio per oculos ebulliente. Hac, inquit,nocte,quæ arcana mihi cælum,& quæ nova de vobis, adoleſcentes, patefecit? ea ſi vobis omnia dixero, ſymbolas hodie lautiores à nemine alio expectate. Nam vos ego reſcii omnes, quotquot me circumſtatis, ad unum omnes, teque adeò ipſum, teque nominatim, teque, & denique quotquot hîc adeſtis omnes, certo Numinis decreto, ad gloriam cæleſtem feliciter eſſe jam electos. Ita Senior legatus. Simul & ipſe conticeſcere, & alii exclamare, & alii lacrimis,& alii deſideriis, & alii ſuſpiriis indulgere; alii ſui immemores ſtupere, alii in genua effuſi accidere: aliqui angulos in horto quærere,ſuamque felicitatē ſeorſim expendere: aliqui exilire, & invicem ſalutare, & gratulantes in complexum ruere: omnes aliquid agere, nemo ſeipſe capere. Jam proinde ludicra quæ cæperant,omnia exeſſe & valere: gaudia, tametſi honeſta, & alia quæq; ſquallere & ſordere; demum in unum Senis oraculū intenti, ubi eſſent, ubi conſiſterent,quid agerent ignorare.

52 Hæc talia profectò, Sodales, hæc etiam in nobis deſideria creſcerent, iiſdemque

demque gaudiis animus noster æstuaret, si, quod sæpè jam dixi, sæpeque dicam, attentiores aliquantò ad nostrã felicitatem respiceremus: ad quam itidem electos jam esse nos confidimus, aut certè ut electi simus, quotidie laboramus. Neque enim cogitate; multò disparẽ esse vestram cujusque, & adolescentum istorum conditionem; eò quòd nemodum vobis nuntium hunc attulerit, nemo fortassis ante mortem laturus sit. Potes imò ipse tu tibi nuntius esse; & dummodò velis, nuntiare tibi jam adeò nunc potes: nisi magni auctores, multique me fefellerunt; quos audio liberè clamitantes: *Vocare, Dei est; sed electum fieri, aut non electum, etiam est nostrum*. Planè nostrum, Sodales, & in nostrâ potestate situm. Quare si vocati possumus velle, possumus etiam, quotquot sumus, eligi. Nondum signata penitus est electio: exspectat adhuc merita tua, expectat opera. Subscribant ista firmentque, & electum te videbis. Habemus enim, quod falsò sibi veteres arrogarunt, cùm suæ quemque fortunæ artificem esse crediderunt; habemus, inquam, ut summam nobis fortunam, id est, æternam gloriæ electionem (si mihi fas ita loqui) ad nutum pænè ar-

bitriumque nostrum fingere, dum ne pigeat inertes, felicissimè facillimeque possimus.

V I.

LVDOVICVS Thuringius Decreto divinæ electionis abusus.

Ex Cæsario 1.cap.27. Daurultius cap.2. tit.2.

53 EARVM rerum, quæ animum habere sollicitum præcipuè solent, quarumque rationes inire, & indagare principia, difficillimum; exitus verò ambiguos cogitare, cum primis formidolosum & anceps habetur; palmarium est, illud æternum horrificumque Senatusconsultum, quo jam inde, priusquam editi in lucem hanc fuèramus, non de fortunis honoribusque, sed de capite, vitâ saluteq; nostrâ, in Supremi Numinis curiâ severè graviterque actum, disceptatum, judicatumque erat. Et tenetur illud quidem decretum, adhuc velut in vaginâ reconditum, iisque quorum maximè interest, maximè occultum; sed irrevocabili tamen syngraphâ jam tantò

tantò antè firmatum, ac propediem aliis aliisque, ut judici videbitur, promulgandum.

54 ATQVE utinam hîc quoque (quod aliis in malis solet) tantummodo metus ad omnes, periculum verò ipsum ad paucos pertineret! Respirare fortassis in hac, quamvis ambiguâ fortunâ, posse videremur. Nunc eo loco sumus, ut pauci (proh dolor!) metuamus; omnes autem hoc Senatûsconsulto periclitemur. Agitur mea tuaque res, & ignoramus. Agitur de exilio omnium nostrûm, nec excitamur: agitur de supplicio universorum, nec perturbamur. De æternitate, inquam, agitur; & quid (malùm!) agitur? Imò enimverò actum, constitutum, decretum jam est: & nos, velut in tranquillo securi solutique, adhuc stertimus, ludimus, lascivimus. Et quidem, si aliena solùm percellere nos calamitas nequiret, ferenda utcunque & dissimulanda hæc foret inertia: nunc nostro præcipitio cùm ipsi nihil commovemur, dicam audaciùs, non indolentiâ laborare, sed amentiâ vexari existimamur.

55 HANC ego tantam generis humani vecordiam, cùm apud animum meum aliquando impensiùs mirarer, cœpi ad ejus

fontes aliquos & ſcaturigines perquirendas incumbere ; & reperi confeſtim, nullo propè negotio, vivendi negligentiam pleramque è malâ quorundam pravaque perſuaſione oriri ; quâ putent, Senatus illud conſultum non factum modò ratumque jam tum fuiſſe, priùs quàm mortales naſceremur (id enim haud dubiis rationibus æquè omnes comprobamus) verùm etiam priùs quàm Numen æternum, quid quiſq; rectè & laudabiliter facturi eſſemus, prævideret. Quâ quidem ſententiâ nobis dudum per ſe ſuſpectâ diſplicitaque , aliqui non contenti, ſic ulteriùs abutuntur, ut in factiones impiè prorumpant, indidemque offucias fraudeſque in ſordidâ Calvini incude procudere , ad ſuam aliorumque perniciem , laborent ; dum etiam flammis perennibus eo decreto addictum unumquemque priùs fuiſſe contendunt , quàm fuerit ſceleris ullius aut facinoris ſuſpectus. O impios conſilii cæleſtis interpretes ! dignoſque hoc ſuo judicio , qui ſoli tam inclementer , & imò dementer , de optimi Numinis clementiâ ſenſere !

56 QVÁNQVAM hîc nondum iſti ſubſiſtunt, ſed indidem huc porrò amentiæ progrediuntur, ut ſtolidè omnem ſibi vitę licen-

licentiam permittant, dum de suâ aut salute aut clade decretum jam esse audiunt; & neque falli scita cælestia norunt, neque mutari ea, aut refingi suo cujusque arbitrio posse credunt. Quare de nihilo se utique laboraturos vociferantur, si supervacuam salutis curam cogitationémve suscipiant, cùm priùs etiam, quàm curent aut cogitent, dictam decisámque ad summi Judicis tribunal caussam esse cognoscant. Atque hic, inquam, ille fons est, è quo ista multorum scaturit ignavia, ut nullâ nec promovendæ salutis curâ, nec damni ingruentis formidine tangi jam videantur. Cujus ut imaginem vivam in viro Principe inspiciatis, unaque remedium adversus hoc veternum habeatis, intuemini mecum paulisper LVDOVICVM, Thuringiæ nobilem Dynastam.

57 HVNC mihi Cæsarius tradit, virum cetera nec imprudentem, beneque, ut inter Principes, litteratum, hac unâ in re, graviter dicam an turpiter, desipuisse, quòd ab amicis admonitus, ne tam effrænus & præceps per vitiorum prærupta ad interitum properaret, objectò futuri æternique metu; identidem non tam perplexo, quàm impio dilēmate responderet: Se quidem

dem actum haud dubiè acturum, si ullâ vel exitii vitandi, vel procurandæ salutis sollicitudine cruciaretur. Nam sive decretum mihi jam cælum est, nullo, inquit, facinore meo, quamvis atroci & fædo, efficiam, ut vita mihi salusque periclitentur; cùm norim, irrita, quæ DEVS jam decrêrit, fieri nunquam posse. Sive secus est, ut cælo me Numen excludere decrêrit, jam nullo conatu meo, quamvis pio sanctoque, fiet, ut equidem salute cæloque potiar. Quid ni liber igitur hoc metu me omni absolvo, animumque à futuris, quæ vanè perturbent, per voluptates abduco? Auditis, Sodales, hominem ex Epicuri grege philosophantem, aut pecudem verius in harâ Calvini grunnientem. Et plaudit sibi tamen hoc suo tam absono cantu; nec aliter multò, quàm si porticum Zenonis, & lycéum Aristotelis expugnasset, triumphat.

58 CVM hæc LVDOVICI væsania irroborasset diu, inveterassetque; multos, quibus utebatur familiariùs, anxios in primis habuit hominis caussa; quippe quem pro amicitiâ adjutum seriò, sed nequicquam, cupiebant. Ex istis Medicus erat, homo quàm bonis artibus studiisque excultus, tam Christianis virtutibus clarus. Is hanc

Princi-

Principis sui desperationem unus præter ceteros vehementer deplorabat, tentatisque frustrà omnibus, cùm aditum ad expugnandam pertinaciam diu non reperisset, eum denique DEVS in tempore sic patefecit. Ægritudine animi, morboque corporis acri & periculoso conflictari Dynasta cœperat. Ardebant intestinis ignibus viscera, tumebant sanguine venæ, & signis familiaribus Libitinam advocabant. Nuntiatur ægro periculum. Iste confestim, uti mos est, Medicum vocari, quæque alia tempus & necessitas volebant, apparari jubet. Festinatur, Medicus, quem dixi, apprimè diligens, maturat ad ægrum accurrere, &, si quam priùs animo medicinam afferret, circumspicere. At æger aliorum impatiens, missis omnibus, hoc imò agere Medicum jubet, & quibus rationibus corpori quàm primùm medeatur, cogitare. Hîc ille non intempestivum in arenâ consilium capit, & suis hominem telis prospicienter adoritur. Nam negat, suam ægro aut necessariam aut utilem posse operam esse. Sive enim decrevit DEVS, prævidetque, re verâ futurum, ut ex hac, inquit, ægritudine tu moriaris; jam mea quidem consilia & medicamenta prodesse non po-

 terunt.

terunt. Quis enim decretis cælestibus tribunus intercedat? Sive, futurū jam videt, ut hoc morbi periculo levatus cōvalescas, tum verò tu sine ullâ & Medici & medicamenti ope integer resurges. Quin ergo (malùm) facessere abs te Podalirios omnes, Æsculapiosque tu jubes, & futuris te cruciare porrò omittis?

59 EXCANDVIT hoc Medici consilio æger, ut qui nondum intelligeret, quo telo suus sibi jugulus peteretur. Quare vultuosior, ad illum; Ecquid autem odiosè hoc tu agere, inquit, quod agendum est, cunctaris? cumque nescias, istud Superi an illud futurum prævideant, cur omne studium tuum non intendis, ut quoad potest, periculo me morboque eximere coneris? Quid si enim per hæc ipsa medicamenta, nec aliter, evasurum præviderunt? utere ingenio tu, omnique arte quâ polles: de DEI decreto cogitare Deum permitte. Arripuit vocem Medicus, velut rationibus suis peropportunam, leniterque Principi, Tu verò vitam, inquit, extendere te per artem posse confidis, neque huic spei obstare Numinis decretum putas: cur cælum exorari posse non itidem speras, ut benè factis obtineri se sinat? Aut enim neutræ

spes

ſpes cum decreto æternitatis pugnant, aut ſi earum alterutra, certè ex æquo utraque pugnabit. Quid profeciſſe Medicum hac diſputatione exiſtimatis? Profecit æger, & perpenſis cauſſæ momentis, rediit ad mentem; videns, (ut ingenio erat acuto) ridiculum fore, ſi reprehenderet conſequentia, qui prima conceſſiſſet. Igitur excuſſo mentis delirio, non valere ſolùm, ſed ſapere etiam ſe, Medici ſui beneficio, eſt confeſſus.

60 UTINAM hodieque multi, non dicam ex olidâ Luciani mephiti, ſed è ceteris quoque mortalibus non pauci, quibus error hic aliquis illuſit, in tempore medicinam hanc ſortirentur! Evenire profectò & nos hodie videremus (quod vidiſſe ſe ſcribit *Leonardus Leſſius*, teſtis locuples, cujus obitu nuper omnis Theologia congemuit) ut multi ab interitu ad ſpem frugemque reducerentur, quos ſiniſtra quædam, neſcio quæ perſuaſio, temerè aut correptos aut afflatos, de vitâ capiteq; deſperare propemodum ſubigebat. Nam quibus antehac ſola decreti hujus memoria, aut nimio terrori formidinique fuerat, aut frenos ad quæque nefaria conſciſcenda laxarat; iis nunc ejuſdem venire in men-

tem non posset, quin conceptâ fiduciâ læti, impensiùs dehinc obsistere vitiis & operam virtutibus navare insisteret: certi, Senatus illud consultum neutram in partem ratum priùs & obsignatũ fuisse, quàm sua cujusque facinora, divinis oculis objecta, subscripsissent.

61 VERVM hoc ego pronuntiato patrocinari eorum caussæ non volo, quos præsentibus occupari sic video, ut ad futura parum attenti, nec felicitatem perennem satis appetere, nec ab excidio perenni refugere sollicitè anxieque contendant. Nam ii, sicut seriis istis ac decretoriis cogitationibus nihil magnopere discrucientur, dum terminos ipsos & metas, ad quas universi tendimus, prænoscere non studenτ; ita ne vias quidem semitasque eò ducentes cum curâ decurrere, aut solerter evitare condiscunt. Quis enim est, qui è frequentissimâ concione unus, terreri se aliquando ostendat; quique in gemitus palàm & lacrimas prorumpat, aut in quanto & quàm propinquo discrimine versetur expendat; quamvis atroces aliorum casus, eventusque tragicos, mille ibi documentis audiat inculcari?

62 SIMEONI cuidam, viro sanctissimo,

ut auctor est Baronius Annali decimo, post annum noningentesimum septuagesimo sexto, patefactum divinitus est, ex decem hominum millibus ægrè unum aliquando reperiri, qui ab immensâ inferorum voragine liber evadat. Quid? quòd Lingonum Antistiti Trithemius, inter annum millesimum centesimum sexagesimum, de cælo ostensum tradit, sub eandem horam, quâ Bernardus è vivis excesserat, Judicis supremi tribunal millia hominum triginta circumstitisse, & in dicendâ æternitatis caussâ, duos omnino ex universo numero perorasse, qui absoluti, cælum rectà petierint; tres ampliatos, ad piacularem carcerem divertisse; ceteros ad unum omnes (horror est ingens referre) ad unum, inquam, omnes caussâ cecidisse, obmutuisse, interiisse. Denique Bertorio quodam per terras Germanias concionanti (quod memorat B. Antoninus Volumine tertio, Titulo supra vigesimum quarto) compertum mirabili prodigio fuit, vitæ rationes à millibus hominum sexaginta exactas in eodem jure fuisse, neque de copiis tantis amplius unum stetisse; tres, dum reliquum æris dissolverent, flammis purgari jussos; ceteros catervatim omnes

perpetuùm obæratos mansisse, inferisque mancupi factos, æternùm exulasse.

63 O Forum & Tribunal! ô & Judicem, & judicii eventum! ô reos ibi miseros! ô omnia ibi formidanda! Et tamen quotus est quisque, qui hæc audiens expavescat? qui vitæ rationes tempestiviùs mutet? qui secum ipse seriò disquirat, ecquid etiam se futurum propediem sit, cùm & ipse inter tot millia caussam dicere aggredietur? Nimirum, quia plerique, quod dixi, nec illam calamitatis sempiternæ faciem, tetrique carceris horrorem, & lamentabilem exilii conditionem sibi perspectam satis aut vivis coloribus depictam habemus: idcircò neque proscriptionem Judicis formidamus, neque edictum, quo ad ærumnas illas ablegabimur, serium esse decretoriumque cogitamus. Itaque fit, ut æquè in communi omnium, ac in singulari cujusque nostrûm periculo, tantò longiùs, proh dolor! absimus à metu, quantò propiùs ab excidio exitioque sempiterno distamus.

VII.

Marsilii & Mercati de Æternitate colloquium.

Ex Cæsare Baronio Annali 5. anno 411.

64 QVOD in bello legimus, canente classico, lituos tubasque facere; id apud familiares videmus amica sæpe colloquia præstare. Nam utrisque, mirum est, quam facilè excitemur, ita, ut inflammati, illis quidem ad stringendum ferrum, pugnamque capessendam; istis autem ad ea, de quibus disserimus, appetenda, vehementer plerumque rapiamur. Si enim potuit imber Aureus, quamquam in mutâ tabulâ spectatus, adolescentem ad consimile facinus hortari; quantò validiùs, animatæ auditæque Sirenum voces animum everberabunt? Sensere mortales jam olim, & sentiunt hodieque, proh dolor, cladem hanc multi; serisque lacrimis intempestiva colloquia deplorant. Ceterùm daturi colloquiis hoc nunquam sumus, ut iis ad prava nos instigari, non etiam ad honesta pulchraque excitari posse confiteamur.

Poſſumus omnino, Sodales; & ne quid ambigatis, etiam ſolemus.

65 NAM reflectite, ſi vultis, pauliſper huc oculos, & eorum aliquos obſervate, qui inter ſe de rerum cæleſtium pulchritudine collocuti, magnis continuò deſideriis ad res eaſdem concupiſcendas ferebantur. Auguſtinum hîc audietis (quem, Deus bone, qualemque virum?) ad Oſtia Tiberina cum matre; audietis Benedictum cum ſorore, ſermocinantes: atque hinc Monicam vos confeſtim, inde Scholaſticam, videbitis, velut igne concepto, magnarum cogitationum flammas ſpirare; videbitis, terras illis, & quicquid humani uſpiam eſt, vileſcere, neque aliud menti, quàm Deum, Deique fruendi deſiderium, ineſſe. Ut mirum proinde mihi non ſit, cùm lego, earum alteri noctes totas in eâ ſuavitate exactas ſine faſtidio fuiſſe; & porrò, ne tenebras dulces fuga fratris abrumperet, cæli ruentis imbres ſorori ſuppetias veniſſe. O pluvias tempeſtivas! quæ, tanquam & ipſæ colloquio gauderent, diſcedēdi copiam, interceſſione pluſquam Tribunitiâ, ſuſtulerunt. Neque moræ fratrem ſuæ pœnituit. Nam commodùm digreſſus, ſororem, quam non æquè febris

æſtu, ac æternitatis deſiderio ardentem reliquerat, vidit columbæ ritu, libratis alis, per aëra nubeſque ad cæli confinia tendere, eamque patriam volatu petere, de cujus amæniſſimo ſitu, opulentaque & ſecurâ voluptate, noctu ſermonem uterque contulerant.

66 His nihilo minora legetis & alteri, quam dixi, uſu veniſſe; cujus ego ſenſa quando verbis meis æquare nequeo, pleraque meliùs ab ipſo vobis Auguſtino recenſeri jubebo. *Evenerat*, inquit, *ut ego materque ſoli ad quandam feneſtram incumberemus, ex quâ hortus proſpectabatur: ubi remoti à turbis, dulciter colloquebamur, & præterita obliti, quærebamus inter nos, qualis futura eſſet vita Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Cumque ad eum finem ſermo produceretur, ut ſenſuum delectatio quantalibet, præ illius vitæ jucunditate, non comparatione, ſed ne commemoratione quidem digna videretur: erecti ardentiore affectu, perambulavimus ipſum cælum, unde ſol & luna & ſtellæ lucent; & adhuc aſcendebamus cogitando & loquendo, ut attingeremus regionem ubertatis. Et dum loquimur, & inhiamus illi, attingimus eam modicè toto ictu cordis, & ſuſpiravimus, & reliquimus ibi*

religatas

religatas primitias spiritûs. Ac ne cetera Augustini omnia prosequamur, accipite sermonis instituti coronidem, & quo epiphonemate colloquium terminarint, audite. *Dicebamus*, inquit, *talia, etsi non isto modo, & his verbis; tamen illo die cùm talia loqueremur, mundus iste nobis inter verba cum omnibus delectationibus suis vilescebat: idque ita quidem, ut ultrò in vocem hanc generosam eruperit mater: Nullâ re jam delector in hac vitâ: quid hîc facio?*

67 ET ego, Sodales, hîc itidem quid faciam, ignoro. Silentióne animum hunc fæminæ talem admirer, an verbis laudare aggrediar hanc in eâ rerum mortalium despicientiam? hoc tædium vivendi? hanc abeundi obeundique cupidinem? hoc votum ac desiderium æternitatis? Nempe colloquio hæc suo in acceptis jubet omnia referri. Inde spiritus isti, inde hoc fæminæ robur. Monstrate suos aliqui liberos illi, reditum ad amicos suadete, & soli natalis dulcedinem, & familiæ gaudia, & vitæ solatia memorate; ad hæc omnia responsuram audietis: *Nullâ re tali jam delector; quid hîc facio? cur ad opes veras voluptatesque non propero? & cùm ad regni possessionem inviter, cur ullas in hoc exilio moras traho? cur carceris*

longinqui

longinqui ærumnam, cum gloriâ triumphi non denique commuto? Commutasti enimverò tu dudum, votisque feliciter damnata, cælum omne, quà lubet, perambulas: sed vides, eheu! vides humi nos interim occupatos, fluxa quædam adhuc & mentita gaudia sectari, cæloque neglecto, tantum à desiderii tui similitudine recedere, quantum in colloquiis nostris à tui imitatione degeneramus.

68 SED ne antiqua solùm, magnamque partem apud nos pervulgata repetamus; aliud, non æquè omnibus auditum, accipite, cujus celebris fama haud multò supra nostram memoriam invaluit, & apud Cæsarem Baronium litteris habetur illustribus consignata. Inter MICHAELEM MERCATVM, gente Hetruscum, & MARSILIVM FICINVM, acri ingenio viros, magna, ob vitæ studiique similitudinem, necessitudo erat. Utrique Philosophia, sed in primis Academia placebat, sic, ut unus iis instar omnium esset Plato. Hunc lectitare uterque, hunc commentari, in hoc uno omne suum studium conterere. Evenerat inter hos fortè, ut, lecto Platone, in mentionem æternitatis delaberentur: argumentum, si quod aliud, Philosopho dignum, & vel maximè

maximè Christiano. Quod quidem à Platone, suprà quàm ab extero Scriptore sperares, ita tractatum luculenter est, ut ajant, repertos fuisse, qui olim, cùm ejus commenta quædam de vitâ beatâ lectitassent, capti admiratione, & loci desiderio incensi, sponte suâ præcipites ierint, mortemque sibi manu consciverint, quò viâ compendiariâ in ejus possessionē venirent.

69 IGITVR MARSILIVS, quem dixi, & MERCATVS in hoc argumentum opportunè delapsi, ultrò citroque compluria disputabant. Neque iis contenti quæ in Platone jam legerant, ad intima cæli ultimaque penetrare, &, si quà possent, omnem Rei illius publicæ statum cognoscere nitebantur. Audierant enim sæpe, quàm *gloriosa de Civitate Dei* prædicarentur: audierant, quæ civium ibi tranquillitas, quæ pax; quæ loci majestas, & quàm exuberans omnium lætitia esset. Inde exorsi, placidè disquirebant, quis præcipuè pictor, & quo penicillo, & quibus coloribus, aliquod ejus urbis simulacrum adumbrasset. Venitque in mentē ejus unius tabellæ, quam Joannes velut apographon monstratæ sibi civitatis reliquit. In eam imaginē intenti, ducta quædam urbis lineamenta examinant.

nant. Hîc pavimentum & plateas, hîc ædificia & palatia, ex auro omnia, cunctamq; civitatem æquè omnem ex auro. Ibi mænium structuram, quàm latè quidem tenditur, ex jaspide merâ: ibi fundamenta undique omnia & undique, gemmas: in portis ipsis uniones meros & margaritas. Inde ad mentis oblectamenta, atque inde ex aliis ad alia traducti, cùm in singulis attoniti stuperent; Quid, inquiunt, res ipsa, quos motus apud nos excitaret, si ab umbrâ rei tanta nobis exoritur voluptas?

70 IN hujusmodi sermone cùm longiusculè fuissent progressi, alterque alterum, æquè ac seipsum, quisque ad capiendam ejus felicitatis usuram inflammassent; neque tamen explere animos sensusque in præsentiâ possent; ad ejusmodi postremò consilium descendunt, quod olim inisse Canium quendam Romanum Seneca prodit; quanquam eventu abnuente. Istum tyrannus cùm duci jussisset, & amici virum magnum tristes dimitterent, Quid mœsti, inquit, estis? vos quæritis, an immortales animæ sint; at ego jam sciam. promisitque, si quid explorasset, circumiturum amicos, & indicaturum, quis esset animarum status. Sed frustrà tamen, ut dixi, Canius hic

fuit:

fuit; non item fuere nostri, quippe & causâ & conditione meliores: qui, non ut immortalitatem animæ, de quâ nunquam dubitarant; sed ut quædam alia beatitatis admiranda confirmarent, sic inter se, datâ redditaque fide, sunt pacti, ut uter duorum prior è vitæ statione emigrasset, is de vitæ alterius statu (quà fas esset) superstitem edoceret. Conventum in hæc verba; juratum: & mox dirempto colloquio, amicè discessum.

71 AB eo digressu, multis pòst, nescio quot diebus, MICHAELEM MERCATVM, domi suæ studiis litterarum, ut assiduè solebat, operantem, benè manè, citati equitis cursus advertit; jamque adeò præter ædium fores, ferventium ungularum sonitus, & fragor ferebatur; cùm ecce tibi, non expectata vox à foribus audiri, quæ MICHAELEM exciret. Iste, quis hospes tam matutinus advenisset, quidque se id adeò dici vellet, mirari: eaque propter assurgere confestim, accurrere, & de musei sui fenestrâ, quà licuit, prospectare. Videt insperatò, agnoscitque MARSILIVM suum, in equo candido prætervehentem, atq; elatâ voce, *O Michael*, iteratò, *ô Michael*, inclamantem; *vera sunt omnia, vera sunt.* Simul

equus

equus illum à foribus, ſimul ex oculis & orbe abripuit. Nondum de funere amici, ac ne morbo quidem percrebuerat: cùm paullò pòſt nuntiatur, MARSILIVM ſub eandem horam, quâ eques ibi diverterat, Florentiæ, ex morbo deceſſiſſe.

72 NON vacat hîc immorari, Sodales, dum ſingillatim perſequar dicendo, quis hoc tale ſpectaculum motus exceperit. Satis operæ feciſſe me arbitrabor, ſi intelligere vos ego videam, nec MARSILIVM hunc ſui colloquii, nec MICHAELEM pænitere potuiſſe, cujus ad utrumque tam optabiles fructus dimanarint. Nam & MICHAELEM ajunt, quoad ab eo viſo provixerit, ita ſemper vixiſſe, ut multò etiam, ac antè fecerat ſtudioſiùs omnes, non modò Philoſophi boni, ſed & Chriſtiani partes officiumque adimplerit. Ad quod exemplum (ſi votis agenda res eſt) utinam & ætas hæc noſtra reſpiceret, paribuſque colloquiis pares colligere fructus adniteretur! Quanquam non idcircò lege nos eadem paciſcemur, ut itidem huc nuntii tales ad nos afferantur. Ipſi potiùs, Sodales, ipſimet ibimus: ipſi, qualia quantaque ſint ea quæ de hac Dei civitate inter nos leguntur, narrantur, audiuntur, inſpicere

coràm

coràm & oculis noſtris intueri maturabimus: ubi, cùm omnia perviderimus, ne illud quidem exſpectaturi ſumus, ut vera nos illa dictiſque noſtris eſſe congruentia audiamus, ſed ultrò omnes ac palàm fatebimur, à vero nos nimium quantum aberraſſe; dum quàliacumque tandē & quantacunque hîc dixerimus, ſentiemus, rebus ipſis fuiſſe minora.

VIII.

ADOLESCENS pius, ſalutis ſuæ ſecurus.

Ex Landolfo de Saxoniâ, Daurult. Specul. c. 2. tit. 2.

73 ETSI magnum meritò & in primis arduum habetur, inter adverſa infeſtaque nunquam, nec animo cadere, nec degeneri metu trepidare; idque multi jam ſæpè, cùm de vitâ quidem fortuniſq; ageretur, non inſtrenuè præſtiterunt: eluxiſſe tamen, neſcio quid fortius, in eo videtur Adoleſcente, quem ne æternitatis quidem adverſæ nuntius potuit à recto bonoque tranſverſum agere. Quod ego factum ejuſmodi

modi duco, ut necesse putē, rem omnem, uti à majoribus accepi, cursim hîc repetere.

74 PRÆCLARI mores*, æquè ac splendidi natales, opesque honestæ Juvenem decorabant. Quæ tamen tot ornamenta, quàm illi facilè omnium amores colligebant, tam ægrè Sirenum insidias vitæque pericula defendebant. Nam ut oculos ipse, ne quà caperetur, modestissimè clauderet, non perinde & alienos in potestate habebat. Quaquà incederet, erant ubique multi, qui occurrere, qui insinuare se, qui alloqui laudatam indolem gestirent. Quo factum, ut cùm unus ab omnibus assiduè diriperetur, ferè nusquam esse quieto liceret. Ergóne in hanc, inquit, fortunam geniti nos sumus, ut ubique periculis opportuni, quotidie cum novis hostibus velitemur! Insidiatur patria; quærenda per exilium est salus: illic rimula patebit, per quam elabar. Dixit, & quâ potuit solertiâ, deceptis custodibus, domo urbeque excessit: tum, ne quis etiam peregrè obturbaret, solitudinem quandam, à paucis Anachoretis habitatam, petere instituit.

75 MAGNI animi tuum hoc, magnæque indolis cœptum, Adolescens! Fatemur ul-

N trò,

trò, & admiramur. Sed in eo tibi res vertitur, ut laudata consilia, quàm fortiter susceperis, tam constanter exequaris. Multos tui similes solitudo decepit, alios in primis rudimentis, cùm adhuc proluderent, alios longiusculè progressos, & aliquos propè emeritos, dejecit; blandior nomine, quàm aspectu. Potes horum aliquid etiam tu tibi timere; eaque propter seriò, ne inermis in arenam hanc venias, attende. Magistro opus est, nec imperito, qui multas jam ipse palmas reportarit, qui artes viresque adversarii norit, ejusque petitiones exire cum primis didicerit. Crederetis hæc Adolescentem omnia audisse, adeò nihil eorum, quæ diximus, prætermisit. Nactus præcipuè magistrum est, exercitatæ militiæ senem: ad cujus præscriptū, veluti legem, victitare, quidque omitti deberet, ediscere, & omnem vitæ rationem componere, paullatim assuescebat. Jam familiare erat, pervigiliis noctes continuare, somnoque bellum indicere: jam naturæ ruentis impetus frenare, jam cælo manus injicere, & lacrimis precibusque viam aperire; jam inediam ferre, famemque & sitim vix inter seria belli ducere.

76 INTERIM senex, qui veteranum in tirone

tirone suo videret, magnopere lætatus, non erubuit exempla virtutum à discipulo sumere, sibique eum incitamento esse dicere. Quam ob causam libenter cum eo crebroque in colloquium veniebat; itaque ab illo identidem recedebat, ut lætitiam animi, quam ex tironis profectu hauserat, oculis oreque toto copiosè proderet. Quæ ipsa magistri serenitas vicissim valuit ad studia discipuli acuenda. Sed hæc utriusque hilaritas cùm diu tenuisset, postremò exortæ nubes, animum senis ita perturbarunt, ut Adolescentem ab eo die nunquam sine gemitu aspiceret, sæpè etiam illacrimans à se dimitteret. Quod cùm creberrimè fieri Adolescens observasset, ratus est, nihil abs re facturum, si caussam ejus mœstitiæ à magistro requireret. Abnuit pertinaciter senex; sed ne istud quidem, nisi lacrimans & ingemiscens. Movit obstinatum silentium, ut tantò alter impensiùs postularet: Istud, Pater, quicquid est, fac me ut sciam: ne retice, ne verere: crede, inquam mihi; aut consolando, quâ possum, aut aliâ ope te juvero.

77 PERSTAT nihilominùs senex, negatque tristitiam ullo levari solatio aut arte posse. Magnis tamen machinis expu-

gnatus, iſtud demum conſenſit, ut eum ipſum Adoleſcentem deplorare ſe fateretur. Enimverò tum iſte, quod adhuc modeſtiſſimè fecerat, violentis agere precibus inſiſtit, ut reliquum abditi doloris eruat: ſimul ſanctè pollicitus, quicquid ſui vel moris vel facti diſplicuiſſet, id illicò, dum ſenex proderet, mutaturum; alioquin, In omni vitâ quid, inquit, mihi ſuave poterit videri, ſi ſiccus ego, madere te ſemper & flere compellam? Inde in lacrimas & ipſe ruere, neque ceſſaturum priùs ſe dicere, quàm cauſſam, cur ab altero defleretur, reſciſſet. In hunc ferè modum, par utrinque pertinacia diu multumque valuit, dum denique Adoleſcens aſſiduè obtundendo pervicit, ut alter gemitus inter & lamenta, quanquam ægrè, ſic tamen inciperet.

78 QVOAD mihi per te licuit, fili, ſilentio decrevi rem omnem, quam quæris, involvere; & ne quà ejus indicium erumperet, ſtudui, donec tu mihi per lacrimas prodito, vim propè ultimam attuliſti. Quod utinam parciùs voluiſſes! nam vereor, ne poſtquam reſcieris, optare incipias neſciſſe. Cùm preces nuper ſolito prolixiùs extenderē, cæloque cauſam utriuſq;

noſtrûm,

noſtrûm, ut meus mos eſt, commendarem; video ſcindere ſe nubem, indeque formam, humanâ grandiorem, exiſtere: quæ vultu ad me converſo,& voce tragicâ, parcere inanibus votis, preceſque irritas jubebat omittere; nec enim fatalia decreta arbitrio humano mutari poſſe. Mihi frigidus horror omnia membra pervadere. Sed quia necdum planè, quò vergeret denuntiatio feralis,intelligebam, auxit terrorem vox altera, (miſerum me atque infelicem! quæ illa & qualis vox!) nullum ferire me fulmen graviùs potuiſſet. Illa te vox, fili, quicquid præclari nunc ageres, ſuſque deque habito,pronuntiavit,æterno ſenatusconſulto proſcriptum jam eſſe, & veluti futurum Dei hoſtem, flammis perennibus reſervari. Hæc ſenior ægrè prolocutus, deſiit cum lacrimis, interque obluctantis animæ ſingultus obmutuit.

79 Ac ne Adoleſcens quidem, hæc audiens, cauſſas habere ſe, cur magnopere triumpharet,ſentiebat. Quare & ipſe,dum vocem, quam res inopina ſtrangulaverat, animo recepto colligeret, aliquamdiu cunctatus, meditari ſecum videbatur, in quos affectus prorumperet. Nec multò tamen pòſt,ſui victor, vultum induit animo

generoſo congruentẽ, & lætus in ſpeciem, Hoc totum fuerat, inquit, quod lacrimis te perennibus tu conficiebas? At ego poſthac, nẽ metue Pater, tantò cõtentiùs, quod agere inſtitui, agere pergam. Quid enim? an quia me fieri miſerum cras oportebit, ſponte etiam hodierni diei felicitatem abdicabo? Et quoniam Deo ſervire me inferi quondam non ſinent, ideò ne hîc quidem ut ſerviam ſtudebo? Serviam hîc imò, ſerviam; & ne impium eſſe utrobique me ſuperi videant, hîc certè fuiſſe me non videbunt. Neque fortiùs hæc dixit Adoleſcens, quàm poſtmodò fecit.

80 INIVRIVS ero, Sodales, ſi commiſero, ut hanc tironis conſtantiam vel in heroë ſuſpiciendam, curſim attigiſſe potiùs, quàm laudaſſe, me videatis. Quam enim ego palæſtram expectabo, in quâ animi fortitudo, & ſincerus in Deũ amor, experiri ſe, aliiſque monſtrare, luculentiùs poſſit? aut quæ homini calamitas magis acerba denuntietur? Legimus aliquos, comperto amici infortunio; aliquos, audito patris exilio; aliquos, nuntiato rerum opumque naufragio, in rabiem verſos, iratis manibus capillos, & pectora pugnis, & unguibus ora, muliebrem in modum laceraſſe.

raſſe. Scimus æquè alios, cùm morbis, impatientiâ victi, ceſſiſſent, ferro ſibi vim attuliſſe; alios, cùm aut modici honoris jacturam feciſſent, aut in præmiolo ſperato repulſam tuliſſent, cælum cæliteſque conviciis oneraſſe: quod quidem infortunium omne, ſi cum hoc noſtro componatur, quantulum, Deus bone, & quàm ridiculum eſt! Et tamen conſtat animo noſter, atque in incepto laudabili generoſiſſimè durat. Eum aſtra rejiciunt, nec offenſus queritur; tartara minantur, nec iraſcitur: abdicat Deus & exheredat, nec ſtomachatur: parvumque id putat, quod quendam audit exclamantem, *Si occiderit me, in eum ſperabo:* Eum ego, inquit, etiamſi damnaverit me, amabo tamen, & laudabo.

81 O animum verè excelſum, neque hac fortunâ tam funeſtâ & lugubri dignũ! Atque hæc tu ejus reſponſa cùm audis, miſerande ſenex, quid cogitas? quid ſentis? non partes tu tibi Adoleſcentis hìc ſumis? & quando conqueri de ſuis ærumnis ipſe diſſimulat, tu vicem ejus, expoſtulare cum cælo non feſtinas? Exere vires, & quod auſus es nunquam, hìc aude. Adorire Cælites, ad veniam cùm per ſe faciles, tum maximè, ſi provocentur, non contumaces.

Agitur ſalutis vel ſervatæ vel profligatæ æternitas, quam tu hoſtibus quoque tuis cùm obvenire proſperam exoptes, eam alumno huic tuo miſeram eſſe adverſamq; patieris? aggredere cælum, & pro clientulo depugna. Atqui ſenatus illud conſultum, quod ais, obnuntiat. Moveret iſtud, ſi ſignatum id mihi, ſi ſubſcriptum jam eſſe ratumque oſtenderes. Nunc intereà patientur Superi, ut has eorum fuiſſe minas potiùs, quàm ſententias, cogitemus. Ecquis autem deprecari pœnam, judicemque ultima minitantem, invitare ad mitiora prohibetur? Scio nos quædam, quamquam impetraturi non eſſemus, impunè tamen poſtulaſſe. Et Tyranni demum, non judicis eſt, veniam pacemque orantibus iraſci.

82 CETERVM in hac perturbatione, quicquid egerit ſenex, ipſum certè Adoleſcentem conſtantia, quâ precibus concipiendis, Deoque cùm laudando tum amando inſiſteret, nunquam defecit. Quare nec cælum porrò ſuſtinuit, ut teſtata virtus æquo diutiùs cum experimento tam difficili luctaretur; ſed errorem, qui duobus illuſerat, in tempore patefecit: miſſoque ad ſenem cæleſti nuntio, docuit, contrà,

trà, ac de Adoleſcente crediderat, ſtatutum eſſe: priorem nuntium, ſtygis inquilinum fuiſſe, nec eum æterni conſilii momenta, ſed ſua duntaxat ludibria & commenta apportaſſe. Deo longè aliter viſum; ut qui tantò jam antè, quid in eo diſcrimine præclarè facturus eſſet Adoleſcens, prænoverit: eaque propter dignum cenſuerit, cui decretam ex æterno tempore coronam reſervaret. Pergeret in incepto proin, macteque virtute, nullis orcì fallaciis circumveniri, aut à vitæ, quam inſtituerat, rationibus deterreri ſe ſineret.

83 AVDITVM hoc inſperanti ſeni oraculum, non abſterſit lacrymas, ſed mutavit; ut quas anteà dolor expreſſerat, has deinde gaudium continuaret: at quantò tamen has illis ſuaviores? Igitur, qui tironi ſuo nuntium funeſtum priùs attulerat, æquum ratus, ut maturaret proſpera quoque nuntiare, plenus gaudii ad eum recurrit, hominemque complexus, quid evenerit, & quæ rerum converſio, quàm inexſpectatam ſalutem attulerit, docet. Panicos fuiſſe terrores, eoſque ex vano hauſtos, eòdem recidiſſe: neque aliam ob cauſſam à Numinis providentiâ permiſſos, quàm ut exercendæ virtuti materiam

ſuppeditarent. Hac oratione Adoleſcens, quaſi de offusâ ſomni caligine excitatus, oculos rurſus attollere, cæloque, ad quod poſtliminium haberet, ſalutato, in genua accidere, & ſublatis cum voce manibus, in Dei laudes effundi: neque in gratiis agendis aut modũ habere, aut finem invenire. Et ſanè decorum erat, ut hanc illi tantam felicitatem & nos officiosè gratularemur, Sodales: ſed eum videtis ipſi, cùm capere ſe ille non poſſit, ita lætitiis occupatum geſtire, itaque cælo totum inhiare, ut hominum gratulationem nullam nec expectet modò; nec, ſi ultrò deferamus, advertat ullam, aut curet. Quare ne in eâ nobis operâ ſumendâ operam perdamus, aliò verſi, Deum etiam fulminantem diligere, & Adoleſcentis conſtantiam, quam laudare pro eo ac meretur nequimus, imitari certè taciti, pro virili contendemus.

IX. ADO-

IX.

ADOLESCENS à matre defunctâ reprehensus.

Dionysius Carthusianus de Quatuor novissimis cap. 30.

84 SOMNIUM hìc audituri, Sodales, nihil minùs velim quàm ut somniũ audisse vos existimetis; quando ne ipse quidem, cujus insomnia vobis narrare ingredimur, in illo tragicæ noctis spectaculo se credit somniasse; & nobis res ipsa satis indicat, quicquid ostenti fuerit, certè caussam, quam vitæ mutatio tam seria sit consecuta, vanam omnino ridiculamque non fuisse. Rem porrò, ut ab Historico relata est, auscultate.

85 MATREM inter & filium adolescentem, quem unum sibi, ad ultimæ senectutis solatium, sustulerat, exorta quædam non de nihilo jurgia pertinaciùs tenuere, quàm ut facilè posse componi viderentur. Consilium erat adolescentulo à rebus humanis divertere, & salutem, quam inter æquoris procellas fluctuari sentiebat, in

portu quærere. Eam in rem intentus, clàm circumſpiciebat, cui præcipuè littori ſpes reſque ſuas tutò committeret. Et verò quin cælibem vitam reliquis vivendi inſtitutis anteferret, in eo non jam diſputabat: ceterùm in remotâ ſolitudine illam, an intra cœnobii ſepta concluſam vellet, id adhuc animi dubius pendebat. Cùm utroque versùm multa perinde traherent, peritos rerum arbitros legit, qui ſibi, quid factu optimum eſſet, definirent. Ab his deciſa lis eſt, ut conſultiùs facturum adoleſcentem dicerent, ſi vitam ſolitariam, & ab omni hominum ſocietate ſeparatam, alteri, quâ inter plurium aſceteria religiosè vivitur, longè poſthaberet. Datum, acceptumque conſilium.

86 SED in eo tamen exſequendo, moliri filius tam occultè non potuit, quin, ut ſuſpicioſus eſt amor, parentem adverteret. Ea confeſtim adeſſe, & ne quid hujus fieret, omnibus viis obſtare. Quid enim? huc meos ego labores? huc omnes videam ſpes meas recidere, ut elato pridem marito, etiam à filio nunc relinquar? & quæ Vidua ſolebam adhuc vocari, poſthac (ne ſemel miſera ſim) etiam orba ſalutabor? Atqui biduum hoc ſaltem tu expectares, dum perage-

perageret officiũ suum senecta: non segnis est illa, etiam injussa festinat. Tum ubi senile tu corpus sepulchro condideris, & ossibus his terræ paullillum injeceris, matrem tu diem prætereà unum ne morare. Quin ipsa te hortor, ut curriculo tum, quantum potest, evadere hinc atque effugere contendas: eò magis quidem, quò sanctiùs id facturus tunc es, quod nunc sine scelere in matrem facere vix potes.

87 Hæc iterum iterumque cùm pertinax intonuisset anus, & filium lacrimis ad sui respectum inflectere laborasset; id ille telum (quo nullum matres habent potentius) hoc excepit clypeo semper & retudit, ut diceret; habendam suæ sibi salûtis rationẽ esse: &, velle se, periculi immunem, per arctæ viæ compendia cælum petere: ne quando cum turbâ laxioribus spatiis assuetâ cogeretur repulsam timere. Non insuper habendũ illud Christi privilegium, quod sequacibus dederit, ut quisquis aut fortunas, aut amicos, aut parentes valere, suâ quidem caussâ, jussisset; is in judicio fatali non tremeret & palleret cum reis, sed inter judices receptus, sententiam in alios pronuntiaret. Nisi tu fortasse ducendum pro nihilo credis, eo tempore, quo ad

Christi tribunal tot populi & gentes, tot Principes & Reges, atque ipsi etiam sacrorum Antistites, metu exanimati, circumstabunt, & universi, quid de se statuatur, suspensi incertique expectabunt; eo, inquam, temporis momento, sedere aliquem sui securum, & habere quod aliis minitetur, nihil autem videre quo ipse terreatur. Mihi certè, ad hanc immunitatẽ evadere, tanti est, ut ea propter humana calcare omnia, & quod Christi oracula jubent, etiam parentes decreverim abdicare. Quo in consilio si tu dissenties, mater, hoc me certè consolabor, quòd sciam non etiam Christum dissentire.

88 IN hac sententiâ cùm animum Adolescens obfirmasset, & nihilo tamen molestiùs instare mater atque obtundere pergeret; eò res rediit denique, ut si morem gerere Christi imperio vellet, audaciâ utendum sibi, & ex matris amplexu quaquà posset, violenter erumpendum judicaret. Nec mora, erupit: matri à tergo revocanti, hoc identidem unum recantans; daret abeunti filio veniam: velle suæ se salutis curam agere. Et cùm deinde per litteras illi nuntiosque esse molesta perseveraret, idem ille per litteras nuntiosque semper respon-

reſpondebat, agere curam ſalutis ſuæ ſe velle. Quo uno tam pertinaci reſponſo fractæ ſpes opeſque feminæ, negotium faceſſere adoleſcenti deſierunt.

89 AT ille potitus demum quiete ſuâ, cùm aliquandiu bonam operam in cœtu religioſæ familiæ navaſſet, multiſque ſæpe documentis palàm feciſſet, in primis curis ſuam ſibi (ut inſtituerat) ſalutem eſſe; paullatim, ut homines ſumus, de primis ſtudiis cæpit remittere, & plurium magis, quàm meliorum veſtigiis intentus, eò diſcedere, ut ſui non multò pòſt diſſimilis, longè alia, quàm olim apud animum ſuum decreverat, viſus ſit agitare. Intepuerant priſtini deſideriorum ignes, & neque precum ratio conſtabat, neque jam vigiliæ ſatis placebant, quaſque opes & voluptates generosè nuper repudiarat, ad eaſdem nunc eminus anhelare, & tenaciùs quàm vitæ profeſſio pateretur, adhærere ſentiebatur. Poſtremò, ut omnia compendiò dicantur, exciderat & matris abdicatæ memoria, & propoſitæ ſalutis cura. Morbo adoleſcentis comperto, non defuerunt qui remedia tentarent. Nihil ſuccedebat; non æqualium exempla, non ſenum monita, non majorū imperia. Res aliis experienda medicis ſervabatur.

90 MA-

90 MATREM intereà senectus orbitasque luctu confecere. De cujus exsequiis cùm nuntium filius insperatò accepisset, hactenus moveri se sensit, ut illapso in animum mœrore, ex omnium aspectu clàm secesserit; ubi, si se liberiùs dolor erumperet, arbitris querelæ carerent. In eo recessu, consumptis ferè jam lacrimis, nox appetit, & cum nocte sopor: quem ut divinitus immissum sciret, somnia excepere, quàm visu terrifica, tam salutaria eventu. Etenim visus sibi est adolescens, in vastâ quadam ignotaque regione consistere, quæ, quòd omnis armato præsidio teneretur, nullum effugiendi locum præbebat. Ibi sella fulgurans ab alto conspicua, terribili facie tribunal: vacuum id quidem adhuc, sed à quo scires judicem expectari. Aliæ circumcircà minusculæ sedes, & ingens judicii apparatus. Simul audiri tubæ: quæ cùm longè lateque personarent, undique accurrere reos, & in jus ambulare, etiam tiaras ac diademata, compellebant. Simul immensâ mole liber proferri, atque indidem à præcone alii super alios citari, qui aut vitæ rationes venturo judici approbarent, aut æternùm proscribendi exularent.

91 Hic promptum unicuique eſt, Sodales, arbitrari, quid animi in hoc tam lugubri foro retinuerit infelix adoleſcens, cùm præſertim & ſe nominatim evocari, malè conſcius, audiret. Videbat univerſos, ceu conſilii ignaros, aut pectora plangere, aut ora cædere, aut crines evellere: audiebantur alii miſericordiam orare, alii terrarum hiatus & montium ruinas implorare, alii ſuſpiriis & gemitibus cælum complere. Ipſe unus quid potiſſimùm ageret, dubius, cum omnibus omnia movebat. Sed in hac hominum turbâ, triſtiſſimum fuit, & matrem intueri, nihil à ceterorum fortunâ diverſam: quippe & ipſa formidinis plena, conſilium amiſerat; eaque propter, quoties Prætoris tribunal, & judicum reliquorũ ſubſellia ſuſpiciebat, filii memor, ſapienter eum recteque feciſſe affirmabat, qui olim, ne pavidus in reorum agmine trepidaret, ad judicum ordines opportunè tranſierit, ubi adſidens Prętori, ſententiam in alios aut pronuntiaret ipſe, aut certè ſecurus approbaret. Jamque adeò proditurum fingebat, ut locum ſibi ſellamque reſervatam occuparet: cùm ecce tibi

92 Nova oculis, & improviſa calamitas objicitur. Dum plebem illa pallentem,

undique

undique & miserè opplorantem, enumerat, filium videt agnoscitque in turbâ medium, æquè ac alium neminẽ, pavitantem, & rebus suis fortunisque diffidentem. Quo aspectu velut attonita, cùm diu non reperisset quod loqueretur, eò demum erupit, ut media inter admirantem & exprobrantem requireret, hæccine fuisset illa salutis cura, quam crepantibus buccis toties jactasset? hæc vitæ, quam instituerit, privilegia? hæc sella curulis, & securitas, quâ inter judices consessurum se prædicasset? Ideò tu nempe spes omnes opesque mortales abjicere? ideò voluptates contemnere? & ideò patriam domum cum familiâ sacrâ commutare te velle gloriabaris, ut nobiscum hîc hodie pallere posses & formidare? Impetrasse conditionẽ hanc minori compendio poteras, si cum istis & istis luxu diffluere, si gloriæ umbram sectari, si non tua relinquere, sed aliena diripere per injuriam studuisses. Atqui tu locum hunc ut olim effugeres, matrem fugisti. Ubi nunc magnificæ voces, quibus clamitaras, Procurandam animi tui salutem esse? Hóccine est procurasse?

93 ERVBVIT hoc matris convitio adolescens, parumque abfuit, quin periculi oblitus,

oblitus, hac unâ, quam exprobrarat, infamiâ cruciaretur. Igitur oculis humi demissis, (quòd ruborem suum, & matris conspectum non sustineret) dum orationem, quâ matri se purget, nullam invenit, sopore simul & somnio præter spem solvitur. Manabat undique sudore frigido, & omnibus adhuc membris etiam vigil tremiscebat: quanquam evigilasse vel ideò se non credebat, quia nesciebat somniasse: ita seriò res actæ, nihil somnii referebant. Ad cujus ego confirmationem alia vobis argumenta non adduco, quàm, ut adolescentem, ab eo sopore expergefactũ, considerare vos diligenter, & cum illo, qui paullò priùs fuerat, jubeam comparare.

94 EVM certè simul alii quidam, hominis familiares ac necessarii, excitatum intuebantur, tantam in eo morum vitæque mutationem unde existere tam repentè conjicerent, non reperiebant. Quem nuper dissolutum vagumque, & licentiùs, quàm loci disciplina ferret, errantem meminerant, eum tunc, & quoad porrò provixit, cubiculo, quasi carcere perpetuo, inclusum reperere, ibi lacrimis perennibus madentem, ibi gemitus & suspiria alternantem, ibi assiduis viderunt precibus operan-

operantem. Nemo tunc illum ſilentii ſtudio vincere, nemo in patiendi deſiderio æquare. Nil eodem ad vigilias alacrius, nihil ad vini cibique abſtinentiam promptius; ad voluntaria verò corporis tormenta, nil neque avidius uſquam, nec ſeverius.

95 IGITUR non magis admirari ſecum plerique, quàm ex adoleſcente ſciſcitari, ecquid malè de ſe meritus fuiſſet, quámve metamorphoſeos tam novæ cauſſam haberet: adhortari etiam, ut parciùs in inconſulto rigore pergeret, mitiuſq; paullò in ſe deſæviret. Quibus ille cùm diu, præter ſingultus & manantes lacrimas, nihil reddidiſſet, noviſſimè victus, quid per quietem viderit audieritque, breviter exponit: totamque narrationis ſeriem hoc denique epiphonemate concludit: Sinerent in ſquallore vitam exigere, ſinerent lacrimas & luctum duplicare, ut noxiis elutis, purior olim ſecuriorque ad tribunal reverteretur. Nam quo vultu Judicem, inquit, ipſum, & judicis irati fulmen ibi perferam, qui matrem ferre non potui exprobrantem? Et fingite ſanè, illum ego non audiam; ſatis fuerit, audiſſe matrem.

96 AB hac adoleſcentis oratione, religio

gio mihi eſt priùs diſcedere, Sodales, quàm impetraſſe me videro, uti ad vos ego breviſſimè perorem. Nam etiam vos opinor, cùm è profanâ multorum ſocietate elapſi, ad Marianas leges auctorari voluiſtis; ipſis intereà retrahere conantibus, aliud non reſpondebatis, quàm, quòd metu æternitatis perculſi, ſalutẽ in hoc aſylo quæſituros vos diceretis. Et aſylum vos certè reperiſtis quotquot ad legum iſtarũ præſcripta mores congruere veſtros jubetis; Matremque hanc veſtram, non ut ſuam ille deſerere, ſed obſervatã impensè colere, digniſque amoribus ac ſtudiis proſequi pergitis; habituri certam in illo judicio præſidem vobis & patronam. Erit è contrario, cur ſibi caveant illi, qui propoſiti immemores, ita in Parthenone vivunt, ut præter Sodalis nomen, nullum inſigne, Mariano cliente dignum, reſervent; ſed turbæ, cum quâ periclitari ſe nolle dixerant, ſimillimi degant. Hos enim illi, cùm olim ad ſummi Prætoris tribunal ſecum adſtare pallidos trepidoſque, nec in minori diſcrimine verſari conſpicient, quàm ſeipſos; nónne inſultabunt meritò, & ſuum illis Parthenonem, vel cum riſu (ſi quem loci calamitas pateretur) exprobrabunt?

Quan-

Quanquam ut demus,aliquem fronte tam ferreâ esse, qui tali convitio moveri non velit; tamen erit nemo, mihi credite Sodales, qui tenere colorem in illo judicio possit, cùm exprobari talem sibi inertiam audiet à Matre.

X.

ADOLESCENS nobilis B. Catherinæ patrocinio servatus.

Ex libro veteri, & Relatione Ioannis Salleri.

97 ANIMADVERTO, plerosque hîc omnes expectare, ut de magnæ Virginis matrisq; laudibus eximium quiddam, & cùm narratu facile, tum auditu jucundum, pro loci temporisque consuetudine afferatur. Ceterùm ego nullius vestrûm ingratiis facturum me confido, si narrationem à virginum Reginâ ad virginem Catherinam divertero; dum quantum nobis præsidium non modò in augustissimâ virginum Imperatrice, quod neminem fugit, sed etiam in reliquo ejus Parthenone repositum sit, intelligamus.

98 QVI Britanniæ majoris, ejusque gentis

gentis res memorabiles commentati ſunt, ii, cùm alia præclarè, tum iſtud non in poſtremis extare ad poſteros documentum voluerunt, quo memorant, Juvenem extitiſſe, gente Britannum, ac genere quidem veteriſque familiæ opibus inſignem (quippe terræ non modicæ toparcham) virtute tamen atque animi decore inſigniorem. Sed fulgebat in eo, longeque ſuperabat, præcipuus quidã adverſum Cælites amor, quos univerſos cultu aſſiduo piè ſanctéque, ſed in iis Catherinam ſenſu quodam teneriori ſic venerabatur, ut ei non modò ſtudia ſua, ſed curas æquè omnes, & ſecunda adverſaque cum primis commendaret. Quam in rem haud intermiſit, ad ejus Virginis ædiculam, palatio prope contiguam, ſæpenumero, atque adeò quotidie proviſere; ubi pias illi preces caſtus adoleſcens clam ceteris conciperet, & in ejus tutelam acceptus, à vitiis, Orcique inſidiis procul ætatem agitaret. Neque nullũ hujus operæ pretium feciſſe ſe, aliquantò pòſt comperit.

99 NAM fortè quadam evenerat, ut ſub diei naſcentis crepuſculum, recepto more, ad Patronæ ſacratiũ ſolus inviſeret, facturus inibi, quod quotidie conſuêrat.

Tum

Tum ei cælum, quas etiam non consuêrat, insperato spectaculo delicias offerebat. Nondum is ad templi limen pervenerat, cùm è vestibulo tres videt Virgines procedere, gressuque modesto sibi rectà obviàm venire. Territus occursu non expectato, quid ageretur, ambigebat. Et vigilare tamẽ se certè, nec à somnio deceptum, ejusmodi nymphas intueri, cogitabat. Sumit animum proinde, fixisque oculis omnem earum vestem considerat: videt gemmeum & inenarrabile textum esse: manus adspicit, videt Parium marmor, & Libycum ebur esse: os oculosque spectat, credit tres è cælo lunas esse, aut æmulas astri majoris Heroinas. Quare nihil jam mortale suspicatus, oculos, quos audentiùs modò sustulerat, humi rursus dejicere, & plenus formidinis, ostentum incipit, ne præstigiis luderetur, animo versare: dum Virgo demum, quæ trium proxima aberat, erigere sese juvenẽ, sibique constare jubet; quippe ludibrii, quod vanè metueret, immunem. Neque enim, ut oculis tuis imponeremus, huc, inquit, venimus; sed precum tuarum votorumque officia è cælo nos devocant; ut quem absentes sæpè audivimus, ab eo conspici quoque & audiri nos aliquando velle demonstremus.

100 Vo-

100 VOCEM elicere vel à muto potuisset tam liberalis invitatio : atqui adolescentem, è diserto nuper & eloquente hebetem propè reddidit & elinguem. Quid igitur (malùm!) insciens hìc expavescis? non tu mortales oculos hoc cęlesti spectaculo pascere? non aures his adeò Suadelis aperire? nec mutua festinas huic Virginum choro verba reddere? Alibi nimirum Sirenas, & illices Veneris ministras extimesce : nam ubi suas cælum Nymphas ostentat, lenocinari forma & insidiari non potest. Addè, quòd inter has tua illa est Catherina, quam absentem toties tu vocare in vota solitaras : quid præsentē ergo nunc formidas? cur appellantem, & invitantem, ingrate, non resalutas? Jubet hæc, ecce, Gratiarum trias, unam te sibi, quam velis, deposcere : jubet unam, non expugnando pudori, sed conservandæ integritati, sponsam optare : & in optione tam liberali tu dubius adhuc & intricatus hæres? Attolle sis vultum, & immortalia non animo solùm contemplare, sed oculis etiam sensibusque usurpa.

101 PARVIT, etsi timidè, modestus adolescens; & in certamen difficillimum ingressus, cùm huc oculos, huc animum

diu intendiſſet, aque iterum illuc atque illuc reflexus, viſum per omnia ſollerti examine duxiſſet, ſenſit in ambiguâ lite nihil ſe demum proficere. Nam, etſi jam audierat, Charitum illarum unam eſſe Catherinam, quam præ aliis unam utique cliens eligeret: ea tamen ipſa quæ nam potiſſimùm in tribus eſſet, ſecum diſputabat. Ideò dum anxiè & nequicquam conſultat; duæ ſorores errantem denique & hæſitantem feliciter abſolvunt, digitoque indice, quem in tertiam mediamque intenderant, quid ſui judicii ſit oſtendunt. Et erat ea ſanè Catherina, ut loco media, ſic dignitate formaque inter ceteras prima. Quare continuò & adoleſcens, jam bonus arbiter, in ejuſce fidem conceſſurum ſeſe dicere: & quamquam duas non repudiaret, tertiam tamen ceteris ſic anteferre, ut alumnum ejus victurum ſe moriturumque palàm profiteretur.

102 CATHERINA nihilo erga clientem ſuum parcior, ſertum ei quàm primùm in caput imponit. Sed quale ſertum, Deus bone? quâ illud florum gratiâ contextum? quâ colorum odorumque illecebrâ temperatum? quibus unionibus gemmiſque diſtinctum? Sertum verè non ab Alcinoi

cantaris

cantatis rosariis, aut fabuloso Hesperidum nemore, neque ex Hybleis violariis petitum; sed inde feliciter lectum, ubi vere perpetuo cælestia prata pubescere, violæque rosæque immortales à nullo sibi senio, nullâque hiemis pruinâ possunt timere. O campos opum verarum fertiles, & feraces deliciarum! qui talibus hyacinthis consiti, semper virescitis & vernatis! Campos, ubi candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum. Quis hodie nobis flosculũ de areolis vestris odorandum promittat? Nam totum reticulum, rosæ vestratis plenum, nobis ne optare quidem hîc audemus: cùm interim huic licuit adolescentulo totis indidem corollis caput redimire.

103 IGITUR hoc cælesti pignore obligatum adolescentem, jubet generosè pergere Catherina, fidemque datam æternâ constantiâ colere, quæque pactus esset, meminisse. Simul ex oculis illa Charitum trias discedit. At juveni, jam talibus Hymenæis initiato, mortalia confestìm omnia vilescere, sordere terra, cælum, præquàm aliàs, placere; illuc oculi, illuc gemitus & desideria unicè omnia spectare: ut ipse sibi ne posse quidem jam aliud, quàm odio æterno humana fastidire, dataque in

fide perſeverare, videretur. Videretur, inquam. Ne enim re etiam ipsâ perſeveraret, id, eheu! paullò pòſt, ſive parentum imperia, ſive propinquorum blanditiæ, ſive rerum fallacium inſidiæ perpulere. Quippe non diu eſt factum, ût adoleſcens & ſerti accepti, & fidei pactæ oblitus, inciperet degener, & neſcio quo Sirenum cantu deceptus, à Catherinâ ſuâ per infame repudium divertere, atque ad alios amores, infelix transfuga, abire. Virginem enim & genere ſibi & opibus non imparem (erubeſco dicere) deperiit, ſponſam expetiit, nuptias fecit, domum deduxit.

104 ITANE verò? tu nuptias has innuptas, adoleſcens temerarie, non cogitare ſolùm, ſed etiam contrahere? tu inauſpicatos tibi thalamos parare? tu funeſtum potes jubere Thalaſſionem cantari? Hæc ſcilicet prima fidei tuæ conſtantiæque documenta ſtatuis? hæc fœderis jurati ſymbola relinquis? Et quo dehinc ore Catherinam tu comínus appellare? quibus illam, ſi quondam occurrat, oculis intueri? quâ manu ſertum illud tu audebis impudens contrectare? Nimirum, quoties horum tibi quidque in mentem veniet, toties ipſe te ingratum clientem, perfidum alumnum, puden-

pudendum & abdicandum heredem, cum ebulliente gemitu, clamitabis. Sed finge, jam illam tibi Virginem, duabus iterum fororibus comitatam, occurrere, non tu illam, si colloqui tamen velit, hoc tibi dicturam arbitraris: Ego te, desertor ingrate, jam inde à puero in tutelam meam, dignata accepi; ego favore meo præsidioque, dum licuit, semper adjuvi; ego te pignore demum cælesti, ne quæ desciſceres, mihi devinxi; ac porrò, ne quid violentum metueres, opem tibi omnem liberaliter promisi: audes tu tamen (ô rerum & fortunarum oblite tuarum) audes à me divortium inconsultò facere? audes tuam cliens tutelam repudiare? teque mortalibus nuptiis (ô dedecus!) immemor jungere? Hæc, inquam, si pauca tecum, sed offensa irataque loqueretur, quid ageres deprehensus? quò te abderes fugitivus, & occultares?

105 VERUM intereà loci, vos cetera, Sodales, quæ ad rem faciunt, cognoscite. Nuptiis inter duos, jure quo placuit, celebratis, aliquamdiu festa quædam, etiam in eo statu, felicitas tenuit. Sed enim, quæ fortuna sperabatur perpetua, ea repentè ad ingenium rediit; novosque conjuges malis erroribus miserè confudit. Siquidem

adoleſcens, in ipſo etiam Catherinæ repudio, ſalutandæ ejus conſuetudinem ita retinebat, ut quotidie, ſimul ac primo diluculo ſurrexerat, è palatio ad ejus ædiculam incomitatus decurreret, & officio, quod ſolebat, peracto, identidem in palatium regrederetur. Quæ hominis conſuetudo paullatim conjugem impulit, ut maritum alienis amoribus operari, malè credula, cogitaret. Ex quo principio ſenſim omnia illorum fortuna in pejus ruere, retroque relapſa referri. Nam uxor malis uſa conſiliis, ſibi peſſimi facinoris fit auctor, dum pediſſequam clanculò ſubornat, inque inſcium virum ſic armat, ut dato negotio ex inſidiis obſervet, quas nam ille res quotidie agat, quo loci matutinus aſſiduè erumpat; & ecqua cum alterâ (nam huc ſuſpicio ferebat) occultè conſueſcat.

106 ANCILLVLA, in cladem familiæ præ ut debuerat officioſa, negotio accepto, dominum oculis excubantibus ſervat, ac velut è ſpeculâ, cùm eum, pro more, ad Catherinæ ſacellum itare, preceſque ibi prolixas concipere deprehendiſſet, idque iterum iterumque facere conſtanter vidiſſet; læta, quid ageretur, heræ ſuæ renuntiat: Maritum ad Catharinam, quæ in

viciniâ viſeretur, excurrere, ibique diu & perfamiliariter hærere: plura neſciri. Uxor, vel nominis errore decepta, vel, quòd mentem offuſa nebula infuſcabat, cœpit, cum neſcio quâ Catherinâ rem ipſi eſſe credere, quam ſibi utique ſuæque formæ anteferret. Et quoniam

Nulla vis flammæ, tumidiq; venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cùm conjux viduata tædis
Ardet, & odit,

ideò furoris amentiæque plena, ad facinoris, quod putabat, ultionem temerè ſtolideque decurrit: atque ut conjugis probrum atrociſſimè plectat, in ſe ipſam vindicare femina præceps conſtituit. Verùm hoc ſecum illâ moliente, adoleſcens, perſolutis jam fortè precibus, redit; turbarum, quas uxor parturiret, planè ignarus. Illi, alia omnia cogitanti, occurrit in limine mulier ferox, & Catherinam illi ſuam, amarùm renidens, exprobrat. Cui enim dubium eſſe, quin ea, ſicut formâ ſibi præſtaret, ita amore deberet apud virum antecellere. Iret is proinde, ſeque ejus aſpectu colloquioque clàm ſatiaret; non interceſſuram ſe, quò minùs primæ partes illi tribuerentur; ſe, ne in ſecundis quidem aut